



[Blank white paper label]

[Small red-bordered label with illegible markings]



VAN DER

HILOSOPHI



5



B839
A2
v. 5


00966



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080014407



PRAELECTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRAELECTIONUM
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS

AUCTORE

J. VAN DER AA S. J.

PHILOSOPHIAE PROFESSORE
IN COLLEGIO SOCIETATIS JESU LOVANIENSI.

EDITIO ALTERA.

VOLUMEN QUINTUM
HISTORIA PHILOSOPHIAE



LOVANI
TYPIS CAROLI FONTEYN, BIBLIOPOLAE

VIA BRUXELLENSI, 6.


1889.



*Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

46119





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

B839

A2

v.5



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LIBER OCTAVUS.

HISTORIA PHILOSOPHIAE.

PROOEMIUM.

Post philosophiae totius praelectiones systematice propositas, remanet ut quae fuerint apud genus humanum varia ejusdem fata, quae evolutiones ac progressus, exponamus; atque illud praestemus jam, a quo in praecedentibus consulto abstinere solebamus. Quemadmodum enim in generali introductione ad philosophiam monebamus, in ordinariis praelectionibus scopus studiorum non erat ut quis quid senserit investigaremus, sed potius ut quid verum sit, cur et quomodo in sese constet scrutaremur. At tempus est ut etiam priorem inquisitionem non omittamus, quae est philosophiae historia, quae nunc tandem utilius, facilius, et melius intelligi poterit.

1) *Definiri* potest historia philosophiae: ordinata expositio sententiarum et opinionum hominum circa philosophicas disciplinas per omnem mundi aetatem. Hanc aliis definire brevius praeplacet: descriptionem progressuum humani ingenii. — Patet proinde in quo differat *historia philosophiae*: a) a *philosophia historiae*, quae est ordinata series veritatum philosophicarum practicarum ex eventibus humanis historicis deducta; — b) ab *historia philosophica*, quae esset narratio gestorum humanorum, reflexionibus philosophicis in facta historica intermixtis, sed non cohaerentibus, nullum systema unum efformantibus. — Hinc patet insuper: a) ex historia philosophiae excludi philosophorum vitas, utpote quas describere *biographiae* potius est (licet ad explicationem aliquando brevis notitia possit admitti); b) minime requiri, neque exoptandum esse, ut omnes vel plures philosophi inferioris


LIB. VIII.

009662

B839

A2

v.5



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LIBER OCTAVUS.

HISTORIA PHILOSOPHIAE.

PROOEMIUM.

Post philosophiae totius praelectiones systematice propositas, remanet ut quae fuerint apud genus humanum varia ejusdem fata, quae evolutiones ac progressus, exponamus; atque illud praestemus jam, a quo in praecedentibus consulto abstinere solebamus. Quemadmodum enim in generali introductione ad philosophiam monebamus, in ordinariis praelectionibus scopus studiorum non erat ut quis quid senserit investigaremus, sed potius ut quid verum sit, cur et quomodo in sese constet scrutaremur. At tempus est ut etiam priorem inquisitionem non omittamus, quae est philosophiae historia, quae nunc tandem utilius, facilius, et melius intelligi poterit.

1) *Definiri* potest historia philosophiae: ordinata expositio sententiarum et opinionum hominum circa philosophicas disciplinas per omnem mundi aetatem. Hanc aliis definire brevius praeplacet: descriptionem progressuum humani ingenii. — Patet proinde in quo differat *historia philosophiae*: a) a *philosophia historiae*, quae est ordinata series veritatum philosophicarum practicarum ex eventibus humanis historicis deducta; — b) ab *historia philosophica*, quae esset narratio gestorum humanorum, reflexionibus philosophicis in facta historica intermixtis, sed non cohaerentibus, nullum systema unum efformantibus. — Hinc patet insuper: a) ex historia philosophiae excludi philosophorum vitas, utpote quas describere *biographiae* potius est (licet ad explicationem aliquando brevis notitia possit admitti); b) minime requiri, neque exoptandum esse, ut omnes vel plures philosophi inferioris

LIB. VIII.

009662

notae, systematum sectatores, enumerentur; sed sufficere ut praecipui nominentur, ii nempe qui vel systematum novitate vel apud alios auctoritate et actione eminuerunt.

2) *Objectum* hujus historiae est expositio praecipuarum philosophiarum, ita ut doceatur: — *A. genuinus sensus* systematum. Possunt autem diversa systemata obtineri iisdem methodis, possunt item diversae methodi generare eadem systemata. Unde debent ostendi: *a) nota characteristicam* cujusque philosophiae, quae plerumque desumitur ex principio primario ex quo illa exorta est; — *b) methodus* quae ordinatur plerumque juxta principium quod quaeque philosophia admittit pro fundamento cognitionum humanarum;

B. nexus systematum, quo pateat: *a)* quae elementa doctrinae alii ab aliis auctoribus deprompserint; — *b)* quae inter eosdem *dissensiones* et *varietates*; — *c)* quae fuerint *causae* illarum oppositionum (quantum fieri potest), quibus *influxus* aliorum in alia systemata;

C. Quid quodque systema ad generalem *philosophiae progressum* vel *regressum* contulerit.

3) *Finis* hujus historiae: *a) proximus* est cognitio rationalis systematum philosophiae, seu notitia conatum rationis humanae ad veritatem naturalem detegendam; — *b) remotus* est cognitio et amplexus veritatis: « hoc quidem ad duo erit utile; primo quia illud quod bene dictum est ab eis (philosophis) accipiemus in adiutorium nostrum. Secundo, quia illud quod male enunciatum est, cavebimus. » (S. Thom. de anim.)

4) *Utilitas*: *a)* ornat *memoriam* notitia tentaminum et inventionum quae ingenia omnium aetatum sublimissima circa scientias rationales et morales fecerunt; — *b)* perficit *intellectum* docendo vias quibus ad veritatem pervenitur, et in via quibus in errore inciditur; — *c)* inflammat *voluntatem* amore illius revelationis quam Deus nobis dare dignatus est, sine qua videmus ubique turpes errores propagatos esse, cum qua perniciosos omnes fuisse vitatos, veritatem autem multarum viam apertam; — *d)* refrenat *superbiam*, eorum errores et clades ostendens, qui propriae rationi individuali soli fidentes, humanam traditionem omnem ac sensum communem exsibilantes, nova sibi funditus systemata excogitare voluere.

5) *Fontes* quibus in isto historiae conspectu conscribendo uti sumus, praecipui fuerunt: *a) Ritter*, Historia philosophiae (germanice scripta); — *b) Ueberweg*, Delineatio hist. philos. (germanice); — *c) Stoekl*, Hist. phil. antiq., — med. aev., — recent. (germ.); — *d) Cousin*, Historia generalis philos. (gallice); — *e) Franck*, Dictionarium scientiarum philosophicarum (gallice); — *f) Hassner*, Delineatio hist. phil. (germ.); — *g)* non pauca ex plurimis quae apud supra laudatos citantur opera consulimus; — *h)* passim periodica recentissima variarum nationum; — *i)* ipsa philosophorum opera, saltem praecipuorum, non intelligere propria lectione, fas non erat, ut patet.

6) *Divisio* facilius et generatim admissa, ac rebus simul et temporum successioni melius accommodata est, in duas magnas partes: *A.* Historia

philosophiae ante Christum, *B.* post Christum. — Quae tamen divisio non ita intelligatur, ut ab adventus Christi anno aliquo determinato claudatur prior pars, aperiatur posterior, in toto orbe terrarum; sed ita potius ut pars una complectatur philosophiam omnem quae sit extra influxum Christianismi nata elaborataque; altera vero pars eam omnem exponat quae sub illo influxu varie sit evoluta. — Hinc patet fieri ut dum aliae scholae vel etiam integrae nationes in secundam partem cooptentur, aliae ad primam adhuc pertinere censendae sint. — Hinc etiam clare patebit quam vere voluerit Deus « instaurare omnia in Christo. »

PARS PRIMA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE ANTE CHRISTUM.

De philosophorum placitis ante Christianismi influxum, dum nempe naturalibus suae rationis viribus ac passionibus solis ducebantur homines, omnia apte possunt ad duo capita reduci:

Caput 1. De philosophia apud antiquitatis gentes religioni innexa.

Caput 2. De philosophia apud Graecos a religione distincta.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIA APUD ANTIQUITATIS GENTES RELIGIONI INNEXA.

Ordinario quidem historiam philosophiae ordiuntur auctores a Thalete et Pythagora, quia tum primum naturales veritates non permixtas religionis sive mythologicis sive revelatis reperiunt in systema redactas; at 1) ita videntur silentio negare existentiam omnis philosophicae cognitionis ante graecas lucubrationes, quod falsum est, 2) vel saltem videntur aestimare cognitiones quae non philosophorum more et apparatu exponuntur, philosophicas nullo modo dici posse, quod iterum falsum est. — Nos igitur paucis humanas cognitiones dicamus jam ab initio generis humani, deinde de singularum gentium philosophia.

notae, systematum sectatores, enumerentur; sed sufficere ut praecipui nominentur, ii nempe qui vel systematum novitate vel apud alios auctoritate et actione eminuerunt.

2) *Objectum* hujus historiae est expositio praecipuarum philosophiarum, ita ut doceatur: — *A. genuinus sensus* systematum. Possunt autem diversa systemata obtineri iisdem methodis, possunt item diversae methodi generare eadem systemata. Unde debent ostendi: *a) nota characteristicam* cujusque philosophiae, quae plerumque desumitur ex principio primario ex quo illa exorta est; — *b) methodus* quae ordinatur plerumque juxta principium quod quaeque philosophia admittit pro fundamento cognitionum humanarum;

B. nexus systematum, quo pateat: *a)* quae elementa doctrinae alii ab aliis auctoribus deprompserint; — *b)* quae inter eosdem *dissensiones* et *varietates*; — *c)* quae fuerint *causae* illarum oppositionum (quantum fieri potest), quibus *influxus* aliorum in alia systemata;

C. Quid quodque systema ad generalem *philosophiae progressum* vel *regressum* contulerit.

3) *Finis* hujus historiae: *a) proximus* est cognitio rationalis systematum philosophiae, seu notitia conatum rationis humanae ad veritatem naturalem detegendam; — *b) remotus* est cognitio et amplexus veritatis: « hoc quidem ad duo erit utile; primo quia illud quod bene dictum est ab eis (philosophis) accipiemus in adiutorium nostrum. Secundo, quia illud quod male enunciatum est, cavebimus. » (S. Thom. de anim.)

4) *Utilitas*: *a)* ornat *memoriam* notitia tentaminum et inventionum quae ingenia omnium aetatum sublimissima circa scientias rationales et morales fecerunt; — *b)* perficit *intellectum* docendo vias quibus ad veritatem pervenitur, et in via quibus in errore inciditur; — *c)* inflammat *voluntatem* amore illius revelationis quam Deus nobis dare dignatus est, sine qua videmus ubique turpes errores propagatos esse, cum qua perniciosos omnes fuisse vitatos, veritatem autem multarum viam apertam; — *d)* refrenat *superbiam*, eorum errores et clades ostendens, qui propriae rationi individuali soli fidentes, humanam traditionem omnem ac sensum communem exsibilantes, nova sibi funditus systemata excogitare voluere.

5) *Fontes* quibus in isto historiae conspectu conscribendo uti sumus, praecipui fuerunt: *a) Ritter*, Historia philosophiae (germanice scripta); — *b) Ueberweg*, Delineatio hist. philos. (germanice); — *c) Stoekl*, Hist. phil. antiq., — med. aev., — recent. (germ.); — *d) Cousin*, Historia generalis philos. (gallice); — *e) Franck*, Dictionarium scientiarum philosophicarum (gallice); — *f) Hassner*, Delineatio hist. phil. (germ.); — *g)* non pauca ex plurimis quae apud supra laudatos citantur opera consulimus; — *h)* passim periodica recentissima variarum nationum; — *i)* ipsa philosophorum opera, saltem praecipuorum, non intelligere propria lectione, fas non erat, ut patet.

6) *Divisio* facilius et generatim admissa, ac rebus simul et temporum successioni melius accommodata est, in duas magnas partes: *A.* Historia

philosophiae ante Christum, *B.* post Christum. — Quae tamen divisio non ita intelligatur, ut ab adventus Christi anno aliquo determinato claudatur prior pars, aperiatur posterior, in toto orbe terrarum; sed ita potius ut pars una complectatur philosophiam omnem quae sit extra influxum Christianismi nata elaborataque; altera vero pars eam omnem exponat quae sub illo influxu varie sit evoluta. — Hinc patet fieri ut dum aliae scholae vel etiam integrae nationes in secundam partem cooptentur, aliae ad primam adhuc pertinere censendae sint. — Hinc etiam clare patebit quam vere voluerit Deus « instaurare omnia in Christo. »

PARS PRIMA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE ANTE CHRISTUM.

De philosophorum placitis ante Christianismi influxum, dum nempe naturalibus suae rationis viribus ac passionibus solis ducebantur homines, omnia apte possunt ad duo capita reduci:

Caput 1. De philosophia apud antiquitatis gentes religioni innexa.

Caput 2. De philosophia apud Graecos a religione distincta.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIA APUD ANTIQUITATIS GENTES RELIGIONI INNEXA.

Ordinario quidem historiam philosophiae ordiuntur auctores a Thalete et Pythagora, quia tum primum naturales veritates non permixtas religionis sive mythologicis sive revelatis reperiunt in systema redactas; at 1) ita videntur silentio negare existentiam omnis philosophicae cognitionis ante graecas lucubrationes, quod falsum est, 2) vel saltem videntur aestimare cognitiones quae non philosophorum more et apparatu exponuntur, philosophicas nullo modo dici posse, quod iterum falsum est. — Nos igitur paucis humanas cognitiones dicamus jam ab initio generis humani, deinde de singularum gentium philosophia.

ARTICULUS 1.

De primorum hominum philosophicis cognitionibus.

1° Primi homines qui terram incoluerunt, non erant simiae perfectiores, paulatim ad humanam tum corporis tum animae perfectionem et ad intellectum pervenientes, prout transformistis docere placet. Cfr. Organol. prop. 16, 17, 18; Psychol. 1, 2, 34.

2° Neque erant homines sylvestres, solivagi, plane omnium rudes et inculti, in statu illo naturali quem absurde confingunt sive Th. Hobbes, sive J. J. Rousseau. Cfr. Ethic. prop. 117.

3° Neque erant familiae vel tribus plane barbarae et incultae, sine ulla intellectus et morum formatione; sunt enim multae veritates circa vitam et ordinem moralem, religiosum, socialem, ita homini naturales et obviae, ut impossibile sit eas non facile ac brevi et generaliter ab hominibus percipi. Cfr. Logic. prop. 53, 54; Theol. nat. prop. 18; Ethic. prop. 38, 39.

4° Sed si pro theoreticis possibilitatibus et hypothesebus, potius historica facta et testimonia consulimus, positiva invenimus:

1) Ex historia antiquissima et omnium maxime authentica constat: a) jam primitus systema aliquod *morale* fuisse notum; — b) plures aliquas notiones *physices* fuisse comparatas (v. c. Cain civitatem aedificat, Tubalcain faber ferrarius et aerarius fuit, Jubal cecinit cithara et organo); — c) in *organologia* jam Adam omnia animalia et plantas proprio (apto) nomine appellat; — d) in *psychologia* noverant animam esse distinctam a corpore, eoque nobiliorrem utpote immaterialem, creatam ad imaginem Dei, immortalem, etc; — e) in *theologia naturali*, attributa Dei longe perfectius conspiciebant quam vel peritissimi graeci philosophi; — f) imo quaedam *ontologiae* principia, v. c. de tempore, de spatio degustarunt.

2) Quod artium utilium ac scientiarum cognitiones fuerint initio imperfectiores, progressu successivo amplificandae, hoc satis ex eo explicatur quod homo a Deo fuerat creatus ut operaretur ac se perficeret, et quod ad liberales artes ac beatitudinem aptior creatus homo, ad necessitates materiales ac pericula varia post peccatum ingruentia arcenda minus paratus erat, duriorique labore se protegere debuit; — sed ex his minime concludere licet etiam theoreticas cognitiones nobiliores aut nunquam fuisse acquisitas, aut post peccatum fuisse penitus amissas. Eas proinde speculationes posteris ore tradebant. Atque hinc sola explicatio derivari hujus facti potest, quod *traditiones* quo antiquius assurgunt, eo puriores et sanae philosophiae conformiores sunt.

3) *Linguae* quo antiquiores eo perfectiores inveniuntur, ac proinde eo acutiorem *logicam analysisim ac synthesisim* produunt fuisse ab hominibus communiter factam; cfr. Psychol. prop. 47. Sed exinde sequitur a) non potuisse

intra paucas generationes tantam evolutionem produci, si supponantur primi homines plane hebetes, ignavi, sylvatici; b) viam ingenii humani, quidquid sit de theoretice possibili, historico facto certe oppositam ostendi: declinantem potius quam ascendentem in illa evolutione.

5° Ad haec posset objici, ex iisdem historicis etiam fontibus nos doceri, eas omnes cognitiones non lumine naturali et proprio conatu fuisse acquisitas, sed ab ipso Deo revelante manifestatas; neque proinde eas ullo modo ad philosophiam ejusque historiam pertinere. — Sed R. 1) Quod fuerint a Deo ipso vel ab alio quovis doctore vel magistro traditae, hoc earum naturam non mutat, qua sunt veritates menti humanae proportionatae, intelligibiles, ulterius vestigabiles et evolubiles, ac dicendae philosophicae; — 2) qualescumque illae fuissent, oportet tamen in historia philosophiae eas innuisse, quia continent saltem germina et prima lineamenta sequentium doctrinarum, et quia nisi ea quae a praecessoribus posteris accipere poterant sint nota, nemo sibi rectum efformare potest conceptum de conatibus ac progressibus in philosophia posteriore, graeca et alia quavis; — 3) sunt igitur praecipuae illae notiones: a) in principio Deus solus existebat; b) Deus in tempore et libere creat mundi elementa, et ex his efformat ingentia corpora; c) terram creaturis inorganicis et organicis replet, hominemque ex anima et corpore, i. e. ex spiritu et materia efformat; d) peccatum fuit malorum omnium origo; e) Deus provide gubernat, serius ociosve punit mala, remunerat bene gesta.

6° Postquam confusione linguarum dispersi sunt populi, generalis illa primitiva una traditio coepit apud varios varie obscurari, fabulis inquinari, deperire. Unde videmus 1) quo magis populus quisque tempore et regione ab incunabilis generis humani apud Moysen relatis distat, eo magis etiam corruptas et deturpatas ejus esse traditiones; quo vero magis accedit, eo magis easdem esse puras ac primitivae similes;

2) opinionem unius supremi numinis alicujus ubique conservari, saltem apud sapientiores, etsi idololatria omnes populos (praeter Hebraeos) pervaserat. Cujus rei causae sunt: primitiva traditio vestigia relinquens, et ipsa veritatis claritas ac proportio cum mente humana;

3) philosophiam practicam prius excultam fuisse quam theoreticam; quia prius nos urget necessitas recte agendi, quam necessitas modo scientifico theoretico cognoscendi;

4) materialismum initio ignotum fuisse, nec nisi post longum saeculorum lapsum, et per violentam rationis detorsionem enatum esse; idem de scepticismo dicendum.

ARTICULUS 2.

Apud Chaldaeos.

De ista philosophia pauca tantum, eaque ex *Beroso* (a. 300 a. Ch.) novimus. Scilicet 1) fuit chaos primitivum, Dea Omorca, tenebris et aqua involutum, materia plena monstris, 2) quam Deus, Baal, dividens, ex una parte coelum, ex altera terram formavit, 3) ac lumine producto monstra fugavit (i. e. ordinem constituit), 4) ex proprio sanguine cum terra mixto animas humanas produxit. — Vestigia clarissima, licet depravata primaevae traditionis.

Erant Chaldaei astrologiae et mathematicis studiis addictissimi; itemque magiae, haruspiciis, somniis.

Viguit illa philosophia etiam post Babylonis ruinam, usque ad saecula post Christum aliqua, fere ad islamismi invasionem...

ARTICULUS 3.

Apud Persas.

Hujus philosophiae et religionis antiquissimum nobis monumentum est liber *Zendavesta*, auctoris *Zoroastri* (circa saec. VII a. Ch. quantum ex incertis et multum disputatis conicere licet). Praecipua sunt:

1) *Mythras*, principium primum, aeternum, ens a se, genuit *Ormuzd*, ens bonum, principium omnis boni, et *Ahriman*, ens initio bonum, sed ex invidia erga *Ormuzd* depravatum, et factum principium omnis mali. — *Ormuzd* adoratur sub specie luminis et ignis, *Ahriman* proponitur sub imagine serpentis.

2) Creaverunt *Ormuzd* bonos spiritus diversorum graduum, et mundum quatenus hic bonus est; *Ahriman* vero malos spiritus diversorum graduum, et mala quae in mundo sunt.

3) Animae humanae sunt boni spiritus, olim coelum cum *Ormuzd* habitantes, nunc corporibus inclusi ut contra malos spiritus certent. Quod si rite fecerint, post corporis mortem ad *Ormuzd* redibunt beati, sin autem, ad *Ahriman* detrudentur.

4) Sed in fine rerum: a) erit resurrectio hominum universalis, b) tota natura per ignem renovabitur, c) damuati purificabuntur, et in beatitudinem transibunt, d) omnia mala peribunt, solus paradisus lumen manebit, e) *Ormuzd* et *Ahriman* reconciliabuntur, *Ahriman* cum suis omnibus boni fient (et ita perit discrimen essentielle boni et mali; cfr. *Theol. nat. prop. 22; Ethic. prop. 14, 37*).

Posterioribus temporibus invecta est apud Persas magia, astrologia, studium physices et medicinae.

Viguit illa philosophia usque ad islamismi invasiones.

ARTICULUS 4.

Apud Indos.

1° Multum, et a prima antiquitate, philosophati sunt Indi; idque ita ut tum philosophemata, tum cetera omnia, quotidiana et minima peragenda, intime connexa cum religione essent. — Fontes et monumenta apud eos inveniuntur:

1) libri sacri Brahmanorum: quatuor *Vedas* dicti, singuli plures partes habentes: preces, praecepta, et dogmata; et alius liber: *collectio legum Manu*.

2) epica poemata: *Ramajana*, auctore Valmiki, Ramae gesta canens, pauca speculativa continens; — *Mahabharata*, multa speculativa habens, praesertim episodium philosophicum: *Baghavat-Gita*; octodecim libri *Puranas*, encyclopaedica collectio, praesertim theogoniam et cosmogoniam exponens.

3) alia poemata varia, praecipue *Gita-Govinda*, lyricum; — *Sakuntala*, tragoedia, auctore Kalidasa.

4) *commentarii* plurimi in priores libros.

2° Antiquissimum dogma Indorum, apud *Vedas*, est trium divinitatum: *Indra*, seu firmamenti, *Varuni* seu noctis, et *Agni* seu ignis, ex quibus omnia sint orta.

3° Postea dogma aliter exponitur: unam esse divinitatem, *Brahma*, substantiam infinitam, indeterminatam, in qua nihil distinctum, unitas pura. Quae ex aeterno somno evigilans facta est Deus creator, et vocatur *Brahma*; sed et factus est rerum conservator, et vocatur *Vishnu*; et simul destructor ac immutator formarum, et vocatur *Shiva*. Atque haec est *Trimurti*, trinitas indica. *Vishnu* saepe in terram descendit et varie incarnatus fuit. — Ad *Brahma* omnia redire debent in unitatem; hominis ergo officium est ut ad illam unitatem per sacrificia et paenitentias, per perfectam otiosam contemplationem unitatis tendat. Quam qui non attingunt, per metempsychosim denuo incipere debent...

4° Sacram hanc doctrinam varia philosophica systemata expoliverunt.

A. Systema orthodoxum, quod nempe ad ipsos *Vedas* appellat, eis innitur, conformem doctrinam exponit, vocatur *Mimansa*; estque duplex:

1) *Karmamimansa*, auctore *Djai mini*, docet artem ratiocinandi libris *Vedas* applicatam; hermeneuticus potius quam philosophicus liber.

2) *Cairirakamimansa*, seu *Vedanta*, potissimum philosophica collectio; cujus praecipua haec sunt:

a) quoad divinitatem: *Brahma* est unum ens, aeternum, infinitum, immutabile; — neque aliud praeter eum existere potest, nam illud esset finitum, imperfectum, mutabile, et deberet a *Brahma* esse creatum; sed hoc supponeret in eo esse principium imperfectionis, limitationis, mutationis; quae omnia in eo repugnant; ergo *Brahma* nihil creare potuit, nec praeter eum

quidquam verum est, sed mera illusio; — ergo nostri conceptus de rerum distinctione inter se, et a Brahma, sunt quasi somniantium phantasmata;

b) quoad cosmogoniam: mundus et omnia entia nihil aliud sunt, quam ipsius Brahmae evolutio et emanatio; — in ista creatione mundi, Brahma est simul activus, quia ipse producit transformationes apparentes, et passivus, nam realiter ipse transformatur, in seipso enim illas transformationes producit; — transformationes autem illae a perfectiore, seu magis infinito, indeterminato, procedunt ad minus perfectum, magis finitum, determinatum, ita ut illusio sit continuo magis determinata et intensa (scilicet ab aethere ad lumen, inde ad aerem, inde ad liquidum, ad solidum...); — et ordine inverso in Brahma revertuntur absorptione.

c) quoad hominem: anima humana est pars ipsius Brahma, cujus et aeternitatem et infinitatem participat; — haec immediate unitur invisibili subtili corpori, quo mediante unitur corpori materiali crasso; — sed haec unio pro anima malum, non bonum est, nam eam in illusionibus detinet, a perfecta contemplatione et felicitate impedit; — neque veram libertatem, nec propriam operationem habet anima, sed Brahma omnia operatur, et quidem necessario secundum dispositionem animae acquisitam (puta in aliqua vita praecedente); — hinc malum morale actionum non Brahmae sed animae imputandum est.

d) quoad ethicam: perfecta beatitudo debet esse aliquid perfecte fixum et stabile, sine ulla vicissitudine; — ista vero quies nullo labore vel opera acquiritur, neque in vita corporali potest attingi sed praeparari tantum; — consistit ergo in perfecta separatione ab omni corpore, et absorptione in unitatem Brahmae; — praeparatur autem per solam scientiam, non quidem discursivam, sed mysticam contemplationem et otiosam quietem, qua solam hanc unitatem infinitam Brahmae, illusionem omnium ceterorum, propriam identitatem cum Brahma contemmur et intueamur; — ad hanc contemplationem homo se praeparare debet per paenitentiam et sacrificium, per meditationem et devotionem; — hinc orietur jam in hac vita status quietus, in quo nullus error, quia contemplatio Brahmae, unitatis infinitae, nullam dicit singularium distinctionem et illusionem; — nec ulla ignorantia, quia cognoscit Brahma, infinitum; — neque peccatum, nec peccandi possibilitas, nec obligatio ulla, quia haec omnia supponerent distinctionem inter justum et injustum, quae in Brahma esse nequit, et virtus ac vitium inferrent vincula moralia, quae perfectae libertati Brahmae repugnant; — nec ulla activitas, quae supponeret distinctionem agentis et patientis; — neque ulla cupiditas, qui enim infinitum possidet nihil ultra desiderat.

e) quoad eschatologiam: triplex est gradus liberationis in morte; — supremus est perfecta animae absorptio in unitatem substantiae Brahmae; — hunc gradum obtinent qui perfectam ascensum exereuerunt; — alter gradus est liberatio a corpore materiali, et accessus ad habitationem Brahmae; — manet tamen anima corpori subtili suo unita, nec proinde in Brahma absorberi

potest; — hunc gradum obtinent ascetae imperfecti; — tertius gradus eorum est qui ascensum neglexerunt, qui vel puniuntur, vel si aliqua saltem bona opera fecerunt, metempsychosim subeunt ut perfectiorem ascensum exercere possint.

B. Systemata heterodoxa, seu quae a libris Vedas discedunt, vel iis etiam contraria docent:

1) Systema *Sankhya*, auctore Kapila, dualismum docet, nempe:

a) quoad divinitatem: nihil agnoscit quod vere divinum sit, unde et apud Indos dicitur systema atheum.

b) quoad cosmologiam: omnium rerum universalitatis sunt XXV principia: 1: natura, seu secretum et omnipotens principium universae vitae, — 2: intellectus, — 3: conscientia, — 4 — 8: quinque subtiles particulae, essentiae elementorum crassiorum: lumen, sonus, sapor, odor, et tangibilitas, — 9 — 19: undecim organa sensuum et actionum: visus, auditus, gustus, odoratus, tactus, vox, manus, pedes, genitalia, excretoria, et «manas» quo ad conscientiam deferatur sensuum testimonium, atque ad organa actionum deferantur imperia conscientiae. — 20 — 24: quinque crassiora elementa: aether, aer, lumen, aqua, terra, — 25: anima, reliqua omnia cognoscens et iudicans. — Sed ex his primum, *natura*, est solum primum principium producens, evolutione quidem sui, sequentia XXIII principia; activitate autem sua res omnes alias mundanas; estque ipsum aeternum, increatum. Huic alterum primum principium, *anima*, additur, vicesimum quintum ex illis, non producens, sed mere contemplans, et cognitione sua naturam producentem dirigens; estque et ipsum aeternum, increatum. — Ad duo illa igitur principia primaria reducuntur omnia illa XXV enumerata: quorum neutrum solum aliquid potest, sed mutuo se debent complere.

c) quoad ethicam: natura est ut cognoscatur, anima ut cognoscat; sed anima cognitione imperfecta detinetur in crassa naturae materia, atque in illusionem; per scientiam perfectam agnoscit illusionem ac proinde liberatur, neque post corporis mortem ullam metempsychosim metuere debet, sed perfecte quietum otium attingit.

d) quoad eschatologiam: XIV gradus sunt perfectionis: quinque infra hominem, sextus humanus, octo supra hominem; ad supremum per veram scientiam, qua naturae illusionem anima perspiciat, pertingit; ad alios ascendit vel descendit per metempsychosim anima, pro vario vitae merito.

2) Systema *Yoga*, auctore Patandjali, ad *Sankhya* multum accedit, ab eo differt quia et Deum supremum, infinitum, aeternum agnoscit, quem cum anima identificat. Addit et praecepta practica circa media ad contemplationem et circa extasim. — Haec est eorum secta quos Graeci gymnosophistas appellarunt.

3) Systema *Nyaya*, auctore Gotama, tanquam medium ad veram scientiam, ac per eam ad beatitudinem, docet logicam dialecticam, sed eam satis infir-

mam, Aristotele longe inferiorem; et incompletam, de sola demonstratione sollicitam, nihil de judiciis, de syllogismo, de analysi dicentem.

4) Systema *Vaiseshika*, auctore Kanada, ut veram scientiam, medium liberationis, docet atomismum; nimirum:

a) quoad cosmologiam: mundus corporeus totus constat atomis indivisibilibus, immutabilibus, quae non casu (prout docuerunt Graeci atomistae), sed certa lege conveniunt, secundum affines suas qualitates, et quoad numerum, primo in binarios, dein binarii in terniones, in quaterniones, qui in quiniones, in seniones, et ita porro; — id ipsum tamen non ex interna necessitate atomorum evenit, sed ex actione omnipotentis infiniti Dei.

b) quoad divinitatem: admittit Deum unum, summum, aeternum, spiritualement.

c) quoad hominem: praeter corpus, sedem activitatis et laboris, ac organorum sensuum, appetitus sensitivi, homo habet animam distinctam, sedem proprietatum oppositarum corpori: cognitionis, amoris, odii; inter corpus et animam vinculum unionis medium est conscientia sui; — quidquid animae additum est, ipsi malum est: corpus, sensus, sensuum objecta, elementa, conscientia externarum rerum, conscientia sui, actio, amor, odium.

d) quoad ontologiam: ad categorias sex omnia reducit: substantiam, qualitatem, actionem, commune, proprium, relationem.

e) quoad ethicam: iterum omnia officia ad hoc reducuntur, ut anima per quietam contemplationem verae scientiae, ad liberationem a corpore ceterisque omnibus pertingat, et ita ad veram otiosam quietem, liberam ab omni operatione, a merito et a peccato, et obligatione omni.

5° His systematibus alia minora accedunt nonnulla, pleraque mere materialistica. Sed ea Indis semper minus placuerunt. Sic *Djaina* systema distinguit quidem viventia a non viventibus; omnia tamen ex solis atomis constare docet; nullam divinitatem vel providentiam agnoscit, omne supramundanum negat. — *Tsherwaka* sola corpora esse realia, reliqua esse meras illusiones. — *Lokajatika* sola corpora esse realia, ex solis atomis constare, vitam ejusque omnes operationes, sensationes, appetitus, affectiones, esse meras atomorum varias combinationes...

6° Praecedentia omnia systemata socialem divisionem castarum indicarum observant, Brahmanosque super alios exaltant. Orta illa sunt ab antiquitate nobis ignota; parum per saecula fuerunt deformata; vigent hodie apud Indos indigenas. — Sed saeculo circiter quinto vel sexto ante Ch. ortus est *Buddhismus*, auctore Çakya-Muni, ex systemate Sankhya ortus, ulterius evolvens ad nihilismum usque consequentias, socialem divisionem castarum subruens, practice aliam religionem inducens. Inde Brahmanorum odia violenta, qui post duo saecula Buddhismum ex India vi expulerunt; quo factum est ut late propagaretur apud Sinenses, Japones, Mongolos, Thibetanos, etc; nec tamen ex ipsa India extirpatus est, sed mox reffloruit, donec saeculo VIII p. Ch. Brahmanismum devicerit; at ipse dein, saeculo IX p. Ch. irruenti

Islamismo succubuit. Sub Mahumetana dominatione postea restauratus, modificatus quidem, Neo-Brahmanismus, ex interiori India Buddhismum fugavit, qui in India non jam nisi in minoribus confinibus extremis regionibus conservatus est. — Est autem illud systema his fere contentum:

a) divinitatem non invocat; non aliud agnoscit nisi Nirvana, Nihilum, ad quod tendendum sit tanquam ad perfectam quietem et felicitatem. — Aliquando videtur non negare Deos, at certe otiosos, mundum non curantes, hominibus quidem meliores, iisdem tamen vicissitudinibus obnoxios, donec in nihilum redeant.

b) mundus et homo, omnia sunt perpetua illusio, nihilum nempe in perpetua variatione fiens et desinens, totum vacuum donec in nihilum, otium quietum perfectum, redeat.

c) debet ergo homo ab omni illusionem se liberare per scientiam perfectam et paenitentias, easque vix tolerabiles; qua via in nirvana redibit; quod si negligat, debet post mortem ejus umbra in terra circumerrare. — In nihilum perfecte rediit olim Çakya-Muni, primus Buddha; illum propterea invocant sectatores, eum in perfectis ascetis redivivum admirantur et honorant. — Ascetae nulli obligationi morali subjacent, sibi et aliis summi benefactores.

d) perfectae scientiae elementa sunt, ut agnoscat 1. quadruplex sublimis veritas: dolor universalis; ejusdem causae passiones humanae; ejusdem finis nirvana; via ad nirvana, passiones et desideria comprimendo, vanitatem universalem contemplando; — 2. mutatio perpetua rerum ab alia in aliam formam; — 3. causarum connexio: mortis, nativitatis vel transmigrationis, anterioris existentiae, affectionis ad varias res, idearum quibus illudimur, ignorantiae; — 4. nirvana: libertas ab omni apparentia, transmutatione, activitate, individualitate; universalis indeterminatissima existentia, nihilum: perfecta felicitas.

e) haec tamen doctrina athea, nihilistica, irreligiosa, solis sapientioribus perspecta manet; vulgus deos inferiores colit, sanctionem post mortem expectat. Atque sub duplici illa forma, cum multis varietatibus mixtis, late in Asiae regionibus et Oceani insulis etiam adhuc dominatur; apud multos in perfectum scepticismum et miras superstitiones abiit.

7° Longiusculam non horruimus Indorum philosophiae expositionem, qua pateret: 1) quousque erraverit paganus ille mundus a nostro alienus, et revelatione privatus, 2) quantae similitudines tamen cum nostrorum rationalistarum superbia, quoties revelationi plene valedicere conantur, 3) quo nos perducerent logica necessitate, si permitteret Deus ut Ecclesiam Catholicam destruerent illi, qui verbo et scripto omnia laudant quaecumque huic Ecclesiae contraria sunt (quin imo, eousque progressos hisee ultimis annis videmus Europaeos aliquos rationalistas, ut Catholicismo expressis verbis Buddhismum praeferre non vereantur).

ARTICULUS 5.

Apud Sinenses.

Parum philosophicarum inquisitionum et speculativorum studiorum apud illas gentes invenire est. Breviter igitur.

1° A summa antiquitate liber *Y-King* (i. e. liber transformationum), auctore Fohi, docet :

a) quoad cosmogoniam : duo principia increata, aeterna : coelum, principium activitatis, perfectionis, masculinum; et terram, principium passionis, otii, imperfectionis, femineum. — Horum varia compositione omnia oriuntur, varia solutione omnia pereunt. — Istarum compositionum leges numeris reguntur, unitate, numero perfecto, et dualitate, numero imperfecto; unde et omnes numeri impares perfectiores, pares vero imperfectiores reputantur; — atque ita explicantur creationes rerum, et cursus astrorum, et quatuor anni tempora, etc.

b) quoad hominem : utrum animam immaterialem admittat, vix discernas in tanta doctrinae obscuritate. — Homines alii boni sunt, qui legibus coeli et terrae sese conformant, rectitudinem ac justitiam observant; — alii mali, qui secus egerint; — prioribus bona terrestria promittuntur, posterioribus calamitates terrestres.

c) divinitatem nusquam agnoscere videtur; aliquando tamen proprietates divinas coelo tribuere videtur.

2° Circa saeculum sextum ante Ch. ortae sunt duae scholae philosophicae; altera potius de theoreticis, altera potius de practicis sollicita.

1) *Lao-Tseu* ad theoretica magis attentus, in libro *Tao-te-King* (i. e. libro summae rationis),

a) circa divinitatem contendit nobis nullum esse verum conceptum possibilem, sed solum nomen « Tao » (ratio) quo illam designemus; — est haec ratio summa, indeterminatissima, simplicissima, aeterna, unitas immutabilis.

b) quoad cosmologiam : Tao, praeter suum absolutum respectum unitatis, habet et alterum respectum relativum, quo fit dualitas, determinatum, mutabile; atque inde in omnes phaenomenales mundanas res evolvitur.

c) quoad hominem : animam immaterialem admittit, quam interdum docet post mortem hominis manere sui consciam et distinctam individuam, alias vero dicit in unitatem indefinitam Tao absorberi, si modo recte in hac vita egerit, i. e. si vitam secundum rectam rationem, ad normam ipsius Tao, ordinaverit; — quod quidem in eo consistit ut homo conetur omnem determinationem et activitatem exuere, perfectum otium attingere.

d) quoad societatem : finis intendendus est felicitas et quies populi; — ad id media sunt ut principes tum in se tum in suis ministris et magistratibus exempla praebeant contemptus honorum ac divitiarum, et ut plebem in ignorantia detinere curent, quia ignoti nulla cupido, ac proinde pax.

2) *Kung-Fu-Tseu* (Confucius) ad practica et moralia magis attentus, a) in homine admittere videtur animam immaterialem.

b) divinitatem nunquam enuntiat; — ejus tamen attributa, providentiam praesertim, et benevolentiam, coelo aliquoties tribuit.

c) hominis officia quae docet ad tria puncta reduci possunt : officia mutua inter principem et subditos, — officia inter parentes et liberos, — officia inter conjuges. — Virtutes primariae sunt : humanitas, justitia, fidelitas ceremoniis et usibus majorum, sinceritas erga seipsum, bona fides erga alios. — Illa omnia ad unicam virtutem et officium reducit, scilicet ad pietatem filialem; coelum enim constituit filium suum, imperatorem, qui esset pater totius populi; populus autem subdividitur in varios coetus et familias. — Erit ergo pax summa et omnium felicitas, si suo quisque muneri et statui intentus, harmoniam et aequilibrium ceterorum nunquam turbet.

3) Illud Confucii systema evolverunt ejus discipuli varii, quos inter eminuit *Meng-Tseu* de natura hominis disserens, animam docens ad bonum naturaliter inclinatam esse, ad malum non nisi passionibus allicientibus declinare, libero tamen arbitrio ornatam.

3° Circa saeculum ante Ch. penultimum, ex India *Buddhismus* apud Sinenses intulit *Fohe*; sed plebeia forma in idololatriam mox degeneravit.

4° Circa saeculum post Ch. undecimum, ex diuturnis disputationibus discipulorum *Lao-Tseu*, *Fohe*, et *Confucii*, paulatim multa erant inter litteratos orta conciliationis tentamina; — inde novae scholae, quas inter eminuit schola auctoribus *Tshehu-Tseu*, et *Tshu-Hi*. — Ista omnia etiamnum vigent, sed inter omnes maximae auctoritatis manet *Confucius*, magnus legislator, cultu religioso honoratus.

ARTICULUS 6.

Apud Aegyptios.

Aegyptiis alii veteres populi summam sapientiam tribuebant, eo nimirum decepti quod et praeter exotericam vulgarem doctrinam, aliam esotericam, solis sacerdotibus accessibilem doctrinam mysteriosam, esse reservatam videbant, et inscriptiones hieroglyphicas solis sapientibus apertas aspiciiebant, et summae antiquitatis eorum scientias et politicas institutiones fabulatas audiebant. Nunc vero, postquam intimiora perspecta fuerunt, parum speculationis et parum sapientiae sub illis nebulis fuisse reconditum novimus. Hujus summa capita sunt :

a) circa divinitatem : existere deum sine nomine, obscuritatem primitivam, *Piromis*; ex quo emanaverit *Kneph*, ratio rerum effectrix, et *Phtas*, organisator mundi, omnis vitae principium, et *Thot*, sapientiae personificatio.

b) circa cosmogoniam : emanatione ortos esse *Osirim*, principium activum, immateriale, luminosum; et *Isim*, principium passivum, materiale; — ex

eorum unione orta esse omnia tanquam ex patre et matre; — Osirim repraesentat sol, Isim luna.

c) quoad moralia : principium mali, *Typhon*, univit se cum *Nephtys*, aegyptiorum Venere; unde in mundo orta sunt mala.

d) quoad eschatologiam : animae humanae sunt ex principio immateriali per emanationem ortae, immortales; — in morte, quae fuerunt purae, Deorum societatem ingrediuntur; quae vero impurae, per metempsychosim varia etiam animalium et olerum corpora inhabitant; — alii admittebant regionem mortuorum in qua Osiris, jam *Serapis* vocandus, regnaret.

e) insuper aliquid astrologiae et magiae studiis dabant, geometriae quoque aliqua initia noverant.

Viguerunt ista dogmata usque ad saeculum tertium circiter post Ch.; — paulatim Christianismo extincta.

ARTICULUS 7.

Apud Celtas, Germanos, Scythas.

De his septemtrionalis mundi populis vix aliquid distincte notum habemus. — Videntur hi omnes divinitatem aliquam summam admisisse, quae ubique praesens, nusquam particulare templum haberet; — sub qua alii dii mundum gubernarent; — animam humanam post mortem praemia vel poenas, pro merito praesentis vitae, inventuram; — meritum praecipue virtute bellica, justitia, fidelitate acquiri.

Viguerunt illa donec paulatim sexto vel etiam decimo saeculo post Ch. extinguerentur christianismo.

ARTICULUS 8.

Apud priscos Romanos.

Primus sapientiae laude floruit *Numa Pompilius* rex et legislator. Is sensit Deum nec sensibus percipi, nec quidquam pati posse, sed animo solum cognosci; quare cavet ne Deus exprimeretur ulla specie sive humana, sive quacumque sensibili. Hinc Romae nullus ante annum 170 ab U. c. exstitit vel fictus vel pictus Deus (cfr. Plutarch.). — Ejus dogmata alia videntur a Moyse desumpta, alia illis sunt similia quae Pythagoras, duobus saeculis posterior, docuit.

ARTICULUS 9.

Apud Hebraeos.

Duce revelatione, integrae satis diu permanserunt veritates primitivae; — at nonnullae decursu temporum discordiae ortae sunt, eo maxime tempore

quum primum Babylonis, Graecis, mox Romanis permisceri coeperunt. Ita ante Chⁱ adventum doctiores Judaeorum in tres sectas, Esseniorum, Saducaeorum et Pharisaeorum, scissi erant.

1^o *Essenii* voluptates tanquam maleficia vitantes, docebant animas esse ex se spirituales et immortales; — eas tantum quas illecebra naturalis atraxerit, corporibus ut carceribus implicari; — cum vero fuerint carnalibus vinculis solutae, bonas in amoenissima regione gaudiis, malas in horridissima poenis esse afficiendas, et quidem aeternis.

2^o *Saducaei*, ab *Antigono Sochaeo* circa an. 300 ante Ch^m orti. Is docebat Deo non ex timore obediendum, ad modum mancipiorum, neque intuitu mercedis, sicut mercenarii solent, sed ex solo amore, quin ullum exinde commodum speretur. — Ejus discipulus *Sadoc* sublimiorem hanc pro homine doctrinam esse arbitratus, conclusit alteram vitam omnino non esse, nec poenas, nec praemia. Unde ipsius asseclae, ceterum fidei et cerimoniis Judaeorum satis conformes, negabant immortalitatem animae, resurrectionem corporum, et existentiam angelorum.

3^o *Pharisei*, i. e. separati, affectabant distingui ab omnibus aliis puritate doctrinae, et vitae integritate; unde praeter longas orationes, frequenter jejunabant, ut pallore vultus sanctitas populo innotesceret; distribuebant publice in platea, praecinente quandoque tuba, eleemosynas; et continuo inscriptis etiam in vestium fimbriis virtutibus suis, prae ceteris hominibus meliores se et perfectiores praedicabant. — In hac secta praecellentes fere quique Judaeorum, ut *Nicodemus*, *Gamaliel*, *S. Paulus*, *Josephus Flavius*, numerabantur. — Doctrina haec fere erat :

a) praeter libros sacros, quos reverebantur, sed praepostere saepe interpretabantur, habebant ingentem orationum multitudinem, quas a majoribus suis, et per hos a Moyse, imo et ab ipso Deo se accepisse gloriabantur;

b) omnia fato et Dei immutabilibus decretis ita sunt deputanda, ut agere justa vel omittere, secundum majorem partem in hominis potestate quidem sit, in singulis tamen fatum adjuvet;

c) admittebant libertatem hominis, vitam futuram, immortalitatem animae, corporum resurrectionem, sed et aliquam metempsychosim.

4^o Haec usque ad exitium Jerosolymorum viguerunt. Post dispersionem vero suam Judaei non quidem integra sua servaverunt, nec tamen ulli genti alii se conformarunt, sed passim variorum varios errores sibi assumpserunt; toti uni rei incumbunt, ut Christianismo quantum possint noceant, et ut gentilibus suis terrestria bona divitiarum et honorum acquirant, restorationem regni Israel ejusque universalem dominationem praeparent.

ARTICULUS 10.

Apud priscos Graecos.

Duae possunt distingui periodi : mythologica et politica.

1^o *Periodus mythologica* dicitur a fabulis quae in ea narrantur. — Erat et hic doctrina alia exoterica, populo nota, alia esoterica solis eruditioribus pervia. Mythologica methodo omnia involuta; cujus rei causae sunt : a) obscuritas primitivae historiae gentis, b) memoria heroum, c) curiositas et philosophandi licentia, d) poetarum ingenium.

Hujus periodi sapientes praecipui sunt : Prometheus, Linus, Orpheus, Musaeus, Amphion, Hesiodus, Homerus. Duorum posteriorum opera ad nos pervenerunt. — Homerus Orphaei traditiones secutus saniora de Theogonia cogitat quam Hesiodus qui pleraque depravavit poeticis illusionibus. — Carmina Orphica non satis constat esse ab ipso Orpheo scripta, at nihilominus antiquissima sunt, et de potentia Dei, unici, supremi, providi, melius quam ceteri sentiunt.

2^o *Periodus politica* dicitur, qua sapientes legibus et prudentia civitates componere studuerunt. Huc referuntur :

a) Legumlatores : *Rhadamantus* et *Minos* apud Cretenses, — *Zaleucus* apud Locrenses, — *Charondas* apud Cataneam, — *Solon* apud Athenienses, — *Lycurgus* apud Laedaemones. — Ex Solonis legibus selectae in XII tabulas romanas postea relatae sunt.

b) Septem sapientes, quorum sapientia in recto et frequenti usu alicujus sententiae constitisse videtur : 1. *Thales* Miletinus, a. Ch. 640 efr. infra. — 2. *Solon* Salaminensis, Athenarum legislator, a. Ch. 558, « respice finem ! » Ejus legum imperfectio praecipua est, quod populo nummum ad spectacula tribuebant; quod eorum ingratum erga optimos cives animum fovebant; quod fidem erga auxiliares frangere docebant. — 3. *Chilon*, Laedaemonius, ephorus justus, a. Ch. 598, « nosce teipsum ! » — « ne quid nimis ! » — 4. *Pit-tacus*, Mytilenaeus, a. Ch. 569, « nosce tempus opportunum ! » Reip. praefuit, in ebrios duplo severiorem poenam quam in alios statuit. — 5. *Bias*, Prinaeus, « ama tamquam osurum ! » Ceteris probitatis et sapientiae fama praecelluisse videtur. — 6. *Cleobulus*, ex Lindo, Rhodi urbe, « modus optimus ! » i. e. in medio virtus. — 7. *Periander*, Corinthius tyrannus, a. Ch. 535 « modestus in prosperis, fortis in adversis ! »

Aliae insuper circumferuntur istorum sententiae, breves et sapientiae practicae plenae : multum autem debuerunt illae in populi mores et aestimationem influere, ac proinde futurae sapientiae graecae praeparare vias. Est igitur haec periodus quasi transitus a philosophia religioni mixta ad philosophiam quae apud Graecos primum tamquam scientia rationalis a religiosis rebus distincta coepit tractari.

CAPUT II.

DE PHILOSOPHIA APUD GRAECOS A RELIGIONE DISTINCTA.

Primum apud Graecos coepit philosophiae studium a religiosis dogmatibus distincte tractari. Etsi vero ab aliis orientalibus gentibus et Aegyptiis non nulla tradita acceperant, evolutionem tamen doctrinarum proprio ingenio perfecerunt Graeci. Atque imprimis discernere possumus tempus ante Socratem, a saeculo septimo ad quartum ante Ch, et tempus sequens post Socratem. Quibus addendum aliquid de Romanorum philosophia tota fere ex Graecis desumpta; ac tandem de recentiore graeca cum orientali mixta philosophia. Unde :

- Sectio 1. De philosophia Graeca ante Socratem.
- Sectio 2. De philosophia Graeca post Socratem.
- Sectio 3. De philosophia Romana.
- Sectio 4. De philosophia Alexandrina.

SECTIO 1.

PHILOSOPHIA GRAECA ANTE SOCRATEM.

Nulla hoc tempore omnibus Graecis communis fuit philosophia, sed variae simultaneae scholae; quas non inepte ad tres classes reducere possumus, et quidem ita ut prima Ionicae gentis, altera Doricae, praesertim in Italia inferiore habitantis philosophiam, tertia tandem paulo recentiorem Atticorum complectatur. Sint ergo

- Articulus 1. Schola Ionica.
- Articulus 2. Scholae Italicae.
- Articulus 3. Schola Attica.

ARTICULUS 1.

Schola Ionica, cosmologica.

Istius aetatis celebrior schola Ionica prae ceteris fuisse videtur. Erat autem ejus praecipuus character communis, studium in mundi originem inquirendi, et physicis rebus vacandi, idque methodo empiricae inductionis; et vocati fuerunt physici speculativi. Horum duces praecipui fuerunt :

1^o *Thales* Miletinus (640 a. Ch. natus), observans nihil in mundo produci sine materia praeeistente, conclusit etiam universum hoc formatum ex aliqua primaeva improducta materia esse; quae, utpote destinata ad omnimodas formas recipiendas, debuit per se omnino informis sed omnimode informa-

ARTICULUS 10.

Apud priscos Graecos.

Duae possunt distingui periodi : mythologica et politica.

1^o *Periodus mythologica* dicitur a fabulis quae in ea narrantur. — Erat et hic doctrina alia exoterica, populo nota, alia esoterica solis eruditioribus pervia. Mythologica methodo omnia involuta; cujus rei causae sunt : a) obscuritas primitivae historiae gentis, b) memoria heroum, c) curiositas et philosophandi licentia, d) poetarum ingenium.

Hujus periodi sapientes praecipui sunt : Prometheus, Linus, Orpheus, Musaeus, Amphion, Hesiodus, Homerus. Duorum posteriorum opera ad nos pervenerunt. — Homerus Orphaei traditiones secutus saniora de Theogonia cogitat quam Hesiodus qui pleraque depravavit poeticis illusionibus. — Carmina Orphica non satis constat esse ab ipso Orpheo scripta, at nihilominus antiquissima sunt, et de potentia Dei, unici, supremi, providi, melius quam ceteri sentiunt.

2^o *Periodus politica* dicitur, qua sapientes legibus et prudentia civitates componere studuerunt. Huc referuntur :

a) Legumlatores : *Rhadamantus* et *Minos* apud Cretenses, — *Zaleucus* apud Locrenses, — *Charondas* apud Cataneam, — *Solon* apud Athenienses, — *Lycurgus* apud Laedaemones. — Ex Solonis legibus selectae in XII tabulas romanas postea relatae sunt.

b) Septem sapientes, quorum sapientia in recto et frequenti usu alicujus sententiae constitisse videtur : 1. *Thales* Miletinus, a. Ch. 640 efr. infra. — 2. *Solon* Salaminensis, Athenarum legislator, a. Ch. 558, « respice finem ! » Ejus legum imperfectio praecipua est, quod populo nummum ad spectacula tribuebant; quod eorum ingratum erga optimos cives animum fovebant; quod fidem erga auxiliares frangere docebant. — 3. *Chilon*, Laedaemonius, ephorus justus, a. Ch. 598, « nosce teipsum ! » — « ne quid nimis ! » — 4. *Pit-tacus*, Mytilenaeus, a. Ch. 569, « nosce tempus opportunum ! » Reip. praefuit, in ebrios duplo severiorem poenam quam in alios statuit. — 5. *Bias*, Prinaeus, « ama tamquam osurum ! » Ceteris probitatis et sapientiae fama praecelluisse videtur. — 6. *Cleobulus*, ex Lindo, Rhodi urbe, « modus optimus ! » i. e. in medio virtus. — 7. *Periander*, Corinthius tyrannus, a. Ch. 535 « modestus in prosperis, fortis in adversis ! »

Aliae insuper circumferuntur istorum sententiae, breves et sapientiae practicae plenae : multum autem debuerunt illae in populi mores et aestimationem influere, ac proinde futurae sapientiae graecae praeparare vias. Est igitur haec periodus quasi transitus a philosophia religioni mixta ad philosophiam quae apud Graecos primum tamquam scientia rationalis a religiosis rebus distincta coepit tractari.

CAPUT II.

DE PHILOSOPHIA APUD GRAECOS A RELIGIONE DISTINCTA.

Primum apud Graecos coepit philosophiae studium a religiosis dogmatibus distincte tractari. Etsi vero ab aliis orientalibus gentibus et Aegyptiis non nulla tradita acceperant, evolutionem tamen doctrinarum proprio ingenio perfecerunt Graeci. Atque imprimis discernere possumus tempus ante Socratem, a saeculo septimo ad quartum ante Ch, et tempus sequens post Socratem. Quibus addendum aliquid de Romanorum philosophia tota fere ex Graecis desumpta; ac tandem de recentiore graeca cum orientali mixta philosophia. Unde :

- Sectio 1. De philosophia Graeca ante Socratem.
- Sectio 2. De philosophia Graeca post Socratem.
- Sectio 3. De philosophia Romana.
- Sectio 4. De philosophia Alexandrina.

SECTIO 1.

PHILOSOPHIA GRAECA ANTE SOCRATEM.

Nulla hoc tempore omnibus Graecis communis fuit philosophia, sed variae simultaneae scholae; quas non inepte ad tres classes reducere possumus, et quidem ita ut prima Ionicae gentis, altera Doricae, praesertim in Italia inferiore habitantis philosophiam, tertia tandem paulo recentiorem Atticorum complectatur. Sint ergo

- Articulus 1. Schola Ionica.
- Articulus 2. Scholae Italicae.
- Articulus 3. Schola Attica.

ARTICULUS 1.

Schola Ionica, cosmologica.

Istius aetatis celebrior schola Ionica prae ceteris fuisse videtur. Erat autem ejus praecipuus character communis, studium in mundi originem inquirendi, et physicis rebus vacandi, idque methodo empiricae inductionis; et vocati fuerunt physici speculativi. Horum duces praecipui fuerunt :

1^o *Thales* Miletinus (640 a. Ch. natus), observans nihil in mundo produci sine materia praeeistente, conclusit etiam universum hoc formatum ex aliqua primaeva improducta materia esse; quae, utpote destinata ad omnimodas formas recipiendas, debuit per se omnino informis sed omnimode informa-

bilis esse. — Hinc : *a*) omnium principium est aqua, in eamque omnia redire debent; — *b*) ex aqua cetera omnia elementa evoluta sunt, ex quibus res omnes constant; — *c*) primaevum illud principium, aqua, vivificatur et in varias formas modificatur spiritu divino, qui est anima mundi (neque alium Deum praeter animam mundi videtur admittere); — *d*) unde tota natura, resque omnes vi divina sunt animatae, suntque innumeri Dii; — *e*) etiam magnes ferrum attrahens animatus est; — *f*) orbis terrarum super aquas natat.

2° *Anaximander* Miletinus (natus 620 a. Ch.), Thaletis amicus, primum elementum non aquam, sed infinitatem, τὸ ἄπειρον, docet, quod sit unum et immutabile, sed ejus partes mutantur, ex quo omnia gignantur. Quale autem illud infinitum, indeterminatum, sit non satis explicat. — Chartas geographicas primus descripsit; gnomonem invenit; horoscopia exarare docuit.

3° *Anaximenes* Miletinus (circa 528 a. Ch.) clariore luce illud infinitum Anaximandri determinavit, docens illud esse immensum, porro immensum nihil esse nisi aerem. Hinc statuit aerem esse rerum universarum principium, adeoque Deum, infinitum et semper in motu; cetera ex eo orta esse finita.

4° *Anaxagoras* Clazomenius (natus 500 a. Ch.) praecedentis discipulus Miletii, postea Athenis diu vixit, Euripidi et Pericli amicus; ineunte bello peloponnesiaco atheismi accusatus damnatur exilio, et Lampsaci mox moritur. — Docet : *a*) ex nihilo nihil fieri; proinde materiam primaevam aeternam esse; — *b*) nihil proprie novum fieri, nec perire, sed tantum componi vel dissolvi ex atomis primitivis, quae nec augeri nec minui numero possint; — *c*) atomos illas esse alias homogeneas, alias heterogeneas, quae in corporibus varie componantur; — *d*) primitus permixta omnia, non potuerunt propriis viribus in ordinem mundi transire, sed debuit spiritus (νοῦς) ut causa efficiens ordinatrix accedere. — *e*) spiritus ille est omnipotens, omniscius, aeternus, providus gubernator, nulli rei permixtus et ab omni exteriori determinatione liber; — *f*) is posuit atomos aliquas in motum circularem: qui paulatim aliis communicatus totam massam in gyrum egit; quo factum est ut partes graves, humidae, frigidae in medio consisterent, leves, calidae, siccae in altum tollerentur; ex his aether et stellae, ex illis terra et saxa facta sunt. — *g*) Quoad plantas, animalia et hominem, non jam similem dualismum, sed hylozoismum docet: in materia immanentem spiritum, qui pro varia organismi perfectione varie se manifestet.

5° *Diogenes* Apolloniates, Anaximenes discipulus, Anaxagorae in schola successit, ac sectam Ionicam Athenis fixisse dicitur. Hujus doctrinam ita S^{ENS} Augustinus exponit (de Civ. Dei. VIII, 2): «aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem Divinae rationis, sine qua nihil ex ea fieri posset.»

6° *Archelaus* Miletinus, Anaxagorae discipulus, Athenis docuit et Socratem auditorem habuit. — Hic Magistri sui doctrinam ita deturpasse videtur,

ut inter atheos a quibusdam collocetur, eo quod nefarie docuerit: justum et turpe non natura sed lege fieri.

7° *Heraclitus* Ephesius (circa 500 a. Ch.), systema suum magis extra seriem et influxum aliorum Ionicorum efformavit. Ejus liber «de natura» stylo obscuro scriptus ad nos non pervenit. — Docet *a*) circa mundum: primum elementum esse ignem, non vulgarem, sed purissimum, aethereum, ubique diffusum et divinum; — qui sit principium unicum, simul activum et passivum, ex quo per condensationem successive aer, aqua, terra oritur, et vicissim per rarefactionem ex terra aqua, aer, ignis; — is duplex motus vocatur via deorsum, ὁδὸς κάτω, et via sursum, ὁδὸς ἄνω, explicandae per duplicem immanentem vim: pugnam qua descensus ad multa, et amorem quo ascensus ad unitatem fiat; — hoc alternante motu innumeri mundi oriuntur et pereunt.

b) quoad hominem: ignis est etiam anima mundi, cujus exhalationes sunt totidem animae humanae, eoque meliores quo siccores; animae cogitant per respirationem ignis ubique diffusi, i. e. rationis divinae universalis; — hinc fons cognitionis non sunt sensus, utpote formae mutabiles, sed ratio, eaque non individua hominum, sed universalis animae mundanae unice in omnibus diffusae; — hinc veritas in ea solum cognitione est in qua omnes consentiunt.

c) quoad moralem: suprema lex et potestas, non solum in physicis sed etiam moralibus, est ratio universalis illa divina omnipotens; — felicitas hominis suprema in hac vita est placidum beneplacitum cum illius divina dispositione et lege; — in morte autem anima cessat individualis esse, et in universum ignem iterum absorbetur.

ARTICULUS 2.

Scholae Italicae.

Harum communis character quo ab Ionicis magis discedunt, in eo situs esse videtur, quod dum Jonii potius inductione ex factis ad concludendam rerum naturam et originem assurgebant, Dorii magis speculative procedentes, factis minus insistentes, rerum essentias sibi confingebant. Possunt autem, praeter alias nonnullas, tres praecipuae tractari:

§ 1. Schola Pythagoraea.

§ 2. Schola Eleatica pantheistica.

§ 3. Schola atomistica.

§ 1. SCHOLA PYTHAGORAEA.

1° *Pythagoras*, patria Samius, Thaleti coaevus, Aegyptum, Phoeniciam, Persidem et forsam Indiam, ediscendae sapientiae causa peragravit; deinde

Crotone habitans, scholam aperuit et sectam italicam instituit. — Obscura est Pythagorae historia quia *a)* ipse nihil scriptum reliquisse videtur, et doctrinam maxime coluit arcanam, *b)* ei sua quaeque discipuli tribuunt placita, *c)* plurimae paulatim apud vulgus sparsae sunt de eo fabulae.

2° Duplex fuit Pythagorae methodus: *exoterica* seu vulgaris, et *esoterica* seu arcana. Priori plura egregia docuisse dicitur, et fructu non paenitendo de virtutibus et vitis ad quoscumque auditores disseruisse. Alteram vero non nisi discipulis initiatis tradebat. Hi in communi societate viventes id primario contendebant, ut mente ex rerum naturalium contemplatione ad res invisibiles et aeternas assurgerent contemplandas. Inter eos nemo admittebatur nisi qui se patrimonio abdicasset, mathesi esset peritus, et se trium, quatuor, aut etiam quinque annorum silentio obligaret. — Tanta erat Pythagorae apud discipulos auctoritas, ut dictum: *αὐτὸς ἔφα* omnes lites et disputationes dirimeret.

3° Ex continuis meditationibus summam conceperat admirationem ordinis et harmoniae, quae in hoc universo mundo elucet. Hujus autem ordinis proportionem numeris optime repraesentantur: unde numerum quasi principium generans objectivum consideravit. Igitur:

a) circa mundanas res: numeri sunt rerum omnium elementa; — ipsius numeri elementa sunt *par* et *impar*; *par* habens initium et finem sed non medium, est imperfectum, *impar* habens medium et initium et finem, est perfectum; — numeri ejusque elementorum radix ultima est unitas; ad hanc ergo omnia sunt reducenda; — ex punctis mathematicis et intervallis fit linea, ex lineis superficies, ex superficiebus solidum seu corpus; habentque varia corpora varias figuras: ignis pyramidem, aer icosaedrum, terra cubum, aqua sphaeram, etc.

b) circa mundum: decem sunt corpora mundana, scilicet coelum stellarum, quinque planetae, sol, luna, tellus et antitellus; quae omnia circa ignem centricam gyran; — is vero est principium vivificans omnia, neque enim sine conscientia est tantus mundi ordo et harmonia universalis (unde etiam astra deos dicunt); — haec harmonia musicam mundi constituit, cujus proinde iterum elementa numeri et unitates sunt.

c) circa divinitatem: supra totum compositum mundum existit Deus, tanquam unitas summa, simplicissima, infinita, a quo principio reliqua omnia manant ac dependent.

d) circa hominem: inter Deum et mundum est homo; cujus anima ex centrali igne desumpta, divinitatis particeps, in corpore tanquam in ergastulo simul et in organo est inclusa, ut ejus opē purificetur; est enim haec duorum compositio status imperfectus; — post mortem corporis si pura nondum est, metempsychosim subit; si impura et incorrigibilis, in tartarum detruditur; si pura est, ad Deum redit, i. e. ad perfectum statum, ad unitatem, Deoque similis fit; atque in eo consistit ejus beatitudo; — medium purificationis est virtutum exercitium, i. e. harmonia moralis omnium actionum et facultatum, vera scientia, et ascesis pythagoraeorum.

§ 2. SCHOLA ELEATICA PANTHEISTICA.

Ex Pythagoreorum anima mundi, summa unitate, ac doctrina fere idealistica, alia secta suam evolvit mox doctrinam, Eleaticam dictam, ab urbe Velia, *Ἠλεία*, ubi primum tradita fuit. — Est autem haec philosophia pantheismus immanens realis, de quo cfr. cosmol. prop. 40 et 41.

1° *Xenophanes* Colophonius, circa 569 a. Ch. natus, pauper rhapsodus ex Asia Minore Graeciam transerravit, tandem Veliae in Magna Graecia scholam fundavit.

2° *Parmenides* Eleates, 515 a. Ch. natus, Xenophanis discipulus, magistri placita in nonnullis modificavit, ad idealismum magis accessit.

3° *Melissus* Samius, Athenienses navali praelio, 440 a. Ch. profligavit, Parmenidis discipulus.

4° *Zeno* Eleates, a Ch. 487 natus, Parmenidis discipulus et amicus, arte disputandi et cavillandi maxime excelluit, primus logices fundator jactatur, idealisticum pantheismum tenuisse videtur, sed utrum vere dogmaticus an potius scepticus fuerit controvertitur.

§ 3. SCHOLA ATOMISTICA.

Ex Ionicorum mundi explicatione deduxerunt alii Dorii novas explicationes, ita ut aliqui unice atomos, aliqui dualismum quemdam admitterent. Hos inter eminuit *Empedocles* Agrigentinus, circa 500 a. Ch. natus, democratiae fautor, medicus, orator, magiae se peritum dicens. — Is docet, *a)* quoad mundum: principium rerum esse materiam, i. e. quatuor elementa, aerem, ignem, aquam, terram; — haec ipsa elementa constare ex atomis immutabilibus et indestructibilibus composita; — rerum omnium ortum esse ex illorum elementorum compositione, destructionem vero ex illorum resolutione; — vires quibus illa elementa componantur vel solvantur esse amicitiam et inimicitiam: nempe per inimicitiam, i. e. separationem, ex unitate primaeva res omnes oriri; per amicitiam vero, i. e. reditum, facta dissolutione in unitatem primaevam redire; — per pugnam istarum virium perpetuam, fieri alternantem rerum ortum et interitum.

b) circa animam: eam esse item ex quatuor illis elementis mixtis compositam, nam anima omnia cognoscit, nihil autem cognosci nisi a simili potest; — non tamen in anima amicitia nec inimicitia interveniunt, nam participat de divinitate, eam enim cognoscere potest.

c) circa Deum: principium omnium, et mundi mere intelligibilis, est Deus, perfecta unitas, bonum in se, in quo nulla inimicitia;

d) circa ethicam: malum morale consistit in separatione a Deo; — animae humanae, sic separatae, non nisi per metempsychosim purgari, et in unitatem cum Deo redire possunt.

ARTICULUS 3.

Schola Attica, sophistica.

Athenarum aetas aurea fuit sub Pericle; tum enim imperium victoria Marathonica latissime extenderunt, divitiis affluebant, scientiis artibusque eminebant. Hinc ambitio et fastus, doctrinae jactantia, imperii cupido, morum levitas. Unde et factum est ut, quum antea paucos philosophiae studiosos vidissent, tum omnium fere sectarum reliquias undique acciperent. Nec sapientiae tam dediti quam pecuniae famaеque inhiantes magistri, discipulos sibi similes habuerunt. Ex conflictu autem variarum opinionum, facile erat singularum falsitates aperire; unde mox levi animo de re quavis pro utraque parte opposita aequaliter contendere ac disputare mos fuit, idque eo magis quod maximo honore ars rhetorica in democratia Atheniensi habebatur. Exinde in Graecia tam depravata brevi omnis sensus veri sublatus est, ubi nempe videbatur de omnibus rebus pro et contra pari ratione dimicari posse, vel imo oppositorum identitatem posse defendi; et in scepticismum generatim delapsi sunt. Horum notiores sunt:

1° *Gorgias* Leontinus: in rerum natura nulla omnino res existit; — vel si qua forsitan existeret, non tamen eam agnoscere valeremus; — ac si quis detegere posset aliquid realiter existere, nulla tamen ratione verbis id aliis manifestare posset.

2° *Protagoras* Abderita, circa 480 a. Ch. natus, objectivam veritatem omnem negat, subjectivam tantum veritatem agnoscit, i. e. qualem sibi quisque ipse fecerit; — attamen scientificas institutiones id emolumenti procurare, ut homo cultus rationem infirmiore tanquam firmiore proponere, atque ita sua commoda procurare possit; — in hoc enim omnis institutionis utilitatem esse sitam.

SECTIO 2.

PHILOSOPHIA GRAECA POST SOCRATEM.

Ex communissima illa, ac misera depravatione tum morum tum doctrinarum, necessaria fuit sanioris philosophiae restauratio. Huic Socrates operam dedit, hominis praecipue destinationem ac naturam, et morum correctionem inquirens. Cujus doctrinas systematice, in varias quidem directiones evoluerunt discipuli; et fuerunt eorum scholae aliae minoris momenti, quae paucos progressus fecerunt et breviori tempore substiterunt; aliae majoris in totam sequentem philosophiae historiam influxus. His subjungenda pauca erunt de sceptica philosophiae depravatione quae paulo post illas scholas iterum in Graecia renovata fuit. Unde sunt:

Articulus 1. Philosophia Socratica.

Articulus 2. Scholae Socraticae minores.

Articulus 3. Scholae Socraticae majores.

Articulus 4. Scepticismus Pyrrhonicus.

ARTICULUS 1.

Philosophia Socratica.

1° *Socrates* Atheniensis, 470 a. Ch. natus ex patre lapidario, a Critone philosophiae applicatus, non solum sophistas, sed Anaxagoram, et maxime Archelaum, praeceptores audivit; musicae, poeticae, oratoricaeque artis peritissimus, miles fortis. — Ab administranda rep. abhorrens, non nisi extrema aetate eam capessit, ac plebi injustae simul et triginta tyrannis fortiter resistit. — Laboris patientissimus, paucis contentus, castus et religiosus fuisse dicitur; jure tamen vanitatis, debilisque in confitendo vero Deo animi arguitur. — Is relictis sophistarum deliramentis, philosophiam fere omnem ad ethicam reduxit. Scholam nullam proprie tenuit, sed obambulans, obvios otiososque compellans docuit.

2° *Methodus* Socratica per quaestiones et ironiam veritates inculcandi celeberrima facta est. Duplici via procedit: a) negative, ignorantiam simulans, per quaestiones propositas apparentem adversarii scientiam ad absurdum ducit (estque haec ironia dicta); — b) positive, incipit a rebus obviis et concretis, et ope quaestionum rite dispositarum explicat conceptus, inductiones facit, definitiones universales stabilit, rerumque objectivam veritatem demonstrat (estque haec ars heuristica quam ipse vocabat artem ingenia obstetricandi, quia ita homines cogebat veritatem intra se latentem prodere: in singulis enim dicebat existere recti conscientiam, unde familiare ejus axioma; nosce teipsum).

3° *Doctrina* Socratica nullum quidem systema proprie dictum erat, sed plura eaque verissima principia ad moralem et ad theologiam naturalem spectantia docuit, quae homo quilibet sibi attendens natura duce invenit. — Totam suam moralem doctrinam in idea Dei unius, providi, bonorum remuneratoris, malorum vindicis, fundavit, simul et in persuasionem de immortalitate spiritualis animae; — unde docet felicitatem non in vitae hujus bonis ponendam esse, sed unicum verum bonum esse sapientiam ex veri cognitione ortam et ad animi emendationem facientem, qua Deo accepti et similes efficiamur. — Scriptum ipse nihil reliquit: cognoscimus ejus doctrinam ex Xenophonte, discipulo fidelissimo, et ex Platone qui tamen saepe suas opiniones magistro suo affingit.

4° *Daemonem* inspirantem saepe Socrates sibi adesse edixit, quem audiret, a quo suam sapientiam doceretur. Qui quid fuerit, multum inter doctos disputatur, certum nihil nobis est. Alii putant fuisse daemonium malum, alii instinctum quemdam somnambulisticum; alii verosimilium prudentem praevisionem per continuam attentionem et rationem sine passionibus operantem acquisitam; alii angelum custodem in remunerationem virtutum naturalium illuminantem; alii totum reputant fabulosum, et vel ab ipso Socrate fictum, vel ab ejus amicis falso vulgatum ad auctoritatem ei comparandam.

5° *Discipuli Socratis* scholam unam non effecerunt, tum quia tota methodus nova et difficilis erat, tum quia plurimi adhuc vigentes errores superandi fuissent, tum quia ipse Magister aversionem a theoreticis speculationibus indiderat discipulis. Unde in tres classes isti distribui possunt: 1) alii se philosophiae studio dederunt ea solum mente ut rebus gerendis aptiores fierent, v. c. *Critias*, *Alcibiades*, intemperantis animi juvenes: de his satis.— 2) Alii quae a magistro audierant scripto fideliter mandaverunt, nihil fere addentes de suo, v. c. *Xenophon* Atheniensis famosus; *Aeschines* philosophus (ab oratore diversus); *Dionysius* tyrannus, a Dione ejectus, Athenis mercede docens; *Criton*, dives Atheniensis, ejusque filii a Socrate eruditi; — 3) Alii proprias sectas fundaverunt, quas jam varias exponemus.

ARTICULUS 2.

Scholae Socraticae minores.

Minoribus his scholis hoc commune est, quod magistri ingenio et indoli impares discipuli partem tantum Socraticae philosophiae complexi sunt, alii scilicet methodum dialecticam solam, alii ethicam doctrinam solam. Hi constituunt scholam Cynicam, et Cyrenaicam, illi Megaricam et Eliacam; quae neque aliter recenseri merentur, quam quia sparsa elementa continent, quae postmodum conjuncta et coadunata fuerunt in aliis perfectioribus systematibus. Sint igitur:

- § 1. Schola Cyrenaica seu hedonica.
- § 2. Schola Cynica.
- § 3. Schola Megarica seu eristica.
- § 4. Schola Eliaca et Eretriana.

§ 1. SCHOLA CYRENAICA SEU HEDONICA.

Aristippus Cyrenaicus, docet: a) summum hominis bonum esse beatitudinem, quae in maxima sensationum gratiarum fruitione et voluptate consistit (unde nomen: hedonica); — b) sed voluptas saepe sequelas habet felicitati oppositas: ad quas praevidendas prudentia opus est, et virtute ad abstinendum a noxia voluptate; ergo prudentia et virtus sunt media tantum ad summam fruitionem, sine cura praeteriti et futuri, in praesentibus tranquillam; — c) distinguendum inter rei sensationem et rem; prioris habemus conscientiam, alteram ignoramus, neque datur criterium veritatis omnibus hominibus commune: nomina quidem communia tribuuntur, an vero idem subjective sentiamus, incertum est. — Post *Aristippum*, discipuli nonnulli ad apertum atheismum et religionis omnis irrisorem conclusiones perduxerunt.

§ 2. SCHOLA CYNICA.

1° Nomen suum haec schola sortita est vel a *Cynosarge* (canis tumulo), gymnasio in quo docuit *Antisthenes*, vel a dicacitate et canina mordacitate,

qua hominum mores nullo discrimine carpebant, vel a moribus caninis quibus haec secta se mox polluisse visa est. Ipsi vero cynici, independentiae ultra modum amantes, nomen *scholae* sive *sectae* sedulo declinabant.

2° *Antisthenes* Atheniensis, 360 a. Ch. natus, docuit: beatitudinem hominis in virtute, seu in similitudine cum Deo consistere; — sed cum Deus sit summe independentens, ita hominem quoque oportere ab omnibus rebus externis esse independentem; — hinc et voluptates, et bonam famam, et sociale decorum, et scientificas theorias omnes, esse negligendas; sed *vivendum juxta naturam*.

3° Discipuli vix duo memorari merentur: *Diogenes* Sinopensis, vir magni sed singularis ingenii; *Crates* Thebanus.

§ 3. SCHOLA MEGARICA SEU ERISTICA.

Euclides Megarensis (diversus a celeberrimo illo geometra), *Parmenidis* et *Socratis* doctrinas consociare conatus, ad subtilitates confugere coactus est, unde nomen *scholae eristicae* seu *litigiosae*; doctrinae pauca notatu digna: summum bonum esse id quod simile sit et idem semper.

§ 4. SCHOLA ELIACA ET ERETRIACA.

Phaedon ex Elia, Megaricam fere doctrinam, *Socrati* tamen, ut videtur paulo fidelior, in patriam suam transtulit. — Hujus discipulus fuit *Menedemus* ex Eretria.

ARTICULUS 3.

Scholae Socraticae majores.

Majores per oppositionem ad praecedentes vocantur scholae nunc invivendae, a) ob doctrinam, quae multo completior, plerisque scientiae philosophicae quaesitis responsa conabatur apponere, b) ob durationem et discipulorum numerum majorem, c) ob influxum praeclariorem in posteriores doctrinas et tempora sequentia. — sunt autem hae:

- § 1. Schola Platonica: academia.
- § 2. Schola Aristotelica: lyceum seu peripatetismus.
- § 3. Schola Zenonica: stoicismus.
- § 4. Schola Epicurea.

§ 1. SCHOLA PLATONICA.

1° *Plato* Atheniensis, 428 a. Ch. natus, etiamnum juvenis in arte athletica, pictura, poesi, musica, geometria se exercuit; deinde *Cratylus* discipulus, postea *Socratis* per octo annos assiduus auditor fuit; quo mortuo Megaram se contulit, *Euclidem* de dialectica audiit; dein in Italia *Archytam*, *Timaeum*, aliosque *Pythagoraeos*; inde *Cyrenae* in Africa *Theodorum* geometram audi-

vit, et in Aegypto a Sacerdotibus astronomiam secretasque traditiones hausit. Postquam ter in Sicilia habitasset, atque universam Graeciam peragrasset, denique Athenis sedem fixit; in suburbano gymnasio, Academia, celeberrimam scholam inchoavit quae per trecentos et amplius annos in Graecia floruit, ipsoque vivo jam permultos sectatores habuit, quos inter Isocratem et Demosthenem.

2° Supersunt Platonis epistolae 13 et dialogi 55, quos pro diversitate materiae varie partiti sunt tum veteres tum recentiores. Stylus ejus maxime poeticus, non raro obscurus, praesertim in epistolis. — Ex tot scriptis difficile est clare doctrinam Platonis exsculpere: a) quia in plerisque dialogis, aliorum potius dogmata exponens, propriam sententiam insinuare satagit, — b) quia dialogistica forma utens, frequenter a primario scopo aberrat, — c) quia dictione poetica, sub multitudine allego-riarum et aenigmatum opiniones suas abdit, — d) quia ad instar Pythagoraeorum, in explicatione non solum rerum naturalium, sed etiam aliarum, proportionibus et figuris geometricis utitur, — e) quia crebro abstractionibus et generalissimis notionibus indulgens, non satis sensibus loquitur.

3° Haec data opera fecisse videtur Plato, ne doctrina ejus esoterica, secreta, profanis, scholae placitis non initiatis, revelaret. Quenam haec secreta doctrina fuerit, satis tamen deprehendi potest, cum semper ejus praecipua intentio non obscure intelligatur; videturque fuisse sequens: «artium et scientiarum omnium regulas et principia in veritatibus universalibus et in rerum essentiis positas esse; ipsas autem essentias in typo omnis veri, boni, pulchri, in ipsius divinitatis notionibus esse sitas; ex iis proinde notionibus et ex contemplatione Dei omnia esse repetenda.» — Hanc doctrinam suam velasse creditur a) exemplo Aegyptiorum sacerdotum et Pythagoraeorum, — b) ex superbia, ut a profanis, et a discipulis, majoris fieret, — c) ex persecutionum timore, — d) quia eam a multitudine et non initiatis comprehendi noluit. — Atque ita doctrina ejus publica, seu exoterica, praeparatio quaedam et quasi introductio ad doctrinam esotericam erat. Vinculum autem inter utramque, ac cardinem totius suae philosophiae posuit celeberrimam illam idearum suam theoriam.

4° Ad sequentia reduci potest illa *idearum theoria*: a) Dantur in Deo notionnes quaedam, ideae, prototypi, in quos Deus mundum creans respexit, sicut puer scribere discens in suum exemplar; — b) illae ideae sunt formae rerum, sunt genus et essentia rerum, aeternae, improductae, per se existentes, semper divinae rationi praesentes, non tamen sunt ipsa divinitas; — c) ideae solae nomen *entis* merentur, neque alius est philosophus nisi qui eas contemplatur; — d) quidquid anima nostra percipit, id habet ex participatione cum essentia divina; — e) ideae illae sunt innatae, semper residentes in intelligentia suprema; unde non percipimus nisi reminiscencias (cfr. Logie. prop. 41, et Psychol. prop. 35, sqq.) — f) sensationibus non verum et immutabile rerum esse attingimus, sed ea tantum quae in rebus apparent, variant, ac deficiunt ab entitate; nihil proinde vere scientificum.

5° In illa theoria fundantur reliqua platonicae philosophiae placita. Scilicet: a) in *logica*, praeter regulas definitionis, divisionis, ratiocinii, duplicemque methodum, analyticam et syntheticam, tres animae operationes distinguit: ideas, notionnes (seu ideas umbratiles) et sensationes. Solae ideae proprie dictam certitudinem et proin scientiam gignunt; sensationes autem, non nisi individualia docentes, materiam praebent ex qua formantur notionnes, quae tantum probabilitatem seu opinionem pariunt.

b) quoad *ontologiam*: disserit de ente, de essentia, substantia, unitate, multiplici, finito, infinito, et de diversis causarum speciebus.

c) quoad *theologiam*: varia praeclarissima de Deo habet; v. c. Deum esse immutabilem, summe perfectum, supremam rationem, incorporeum, liberimum, potentissimum, supremum legislatorem, providum, fontem omnium veri, boni, pulchri, etc...

d) quoad *cosmologiam*: mundi originem explicare tentans, Deum non ut creatorem proprie dictum, sed tantum ut fabricatorem agnoscit, qui ex materia sibi coaeterna, sibique opposita et resistente, juxta aeternum exemplar mundum condidit, eique ut ingenti animali, animam quam vocat mundanam, universalem, indidit. Unde mundus est temporaneus, unus, neque alter est possibilis, quia iste repraesentat perfecte ideam exemplarem, ac propterea est etiam optimus. — Porro materiae elementa sunt ignis et terra: omnia enim materialia videri et tangi possunt; sine igne vero nihil videri, sine terra nihil tangi posset. Sed haec duo elementa cum sibi analogia non sint, ut uniri possint, duo alia elementa intermedia requirunt, aerem et aquam, quae inter se fluiditate analogia sunt, et aer igni, aqua terrae.

e) quoad *psychologiam*: statuit animam hominis simplicem et spiritualem, eamque ex Deo quidem, divinaque origine esse, sed mediante anima mundana; et hinc, praeter divinam naturam, aliquid ex materia habere, ut sensibus locus esset, et origo mali in ea explicari posset; addit autem animam se ad corpus habere ut principium movens, non ut informans. — In anima ut cognoscente triplicem supra memoratam operationem discernit, cui in anima ut amante triplex respondeat effectio: amor boni absoluti respondens ideis, amor animalis sensationibus correspondens, et amor quidam illis intermediis, *θυμός*, affectus qui nec vitam animale nec bonum absolutum pro objecto habeat; correspondens notionibus, v. c. ambitio, amor gloriae, etc. — Inde animam in tres quasi partes seu regiones distinguit: partem superiorem, in qua resideat boni absoluti amor, quae pro organo habeat caput seu cervicem; partem mediam, in qua *θυμός*, cujus organum cor; partem inferiorem, in qua amor animalis, cujus organum intestina. — Exhibet animam humanam in praecedente vita liberam ab omni materia, Deorum consortio fruentem, ideas divinas intuentem; ob aliquam culpam, in praesentem vitam delapsam, corpori materiali inclusam tamquam carceri. Post mortem vero, animae sunt immortales, et quae bonae, in societatem Deorum redeunt, quae malae, in tartarum aeternaque tormenta labuntur, quae nondum bonae, nec

tamen incorrigibiles malae, per metempsychosin in novo corpore novam vitae probationem subeunt.

f) quoad *ethicam*: hominis finem constituit in imitatione Dei; tenetur scilicet homo ipsi Deo, quoad fieri possit, se efficere similem; proinde, sicut Deus extra se nihil egit nisi ut ideas rerum archetypas ad effectum perduceret, ita et homo amorem rerum inferiorum et instabilem subdere tenetur amoris boni absoluti. Summum igitur ipsius bonum in ipsa summi boni scientia consistit. Rationali animae parti prudentia, irascibili fortitudo, concupiscibili temperantia praesit oportet, et inter has omnes consensionem servare debet justitia; unde oriatur virtus, quae consistit in perfecta omnium facultatum harmonia et apta omnium virium ordinatione.— Inter media virtutem acquirendi, praeter corporis edomationem et animi moderationem, etiam studium matheseos annumerat, unde Academiae inscripsisse fertur: μηδείᾳ ἀγεομέτρης εἰσιτῶ, rebatur enim animam per mathematicas abstractiones contemplationi idearum rerumque divinarum assueferi.— De libero arbitrio quomodo senserit, vix dignosci potest; modo enim veram libertatem affirmare, modo negare videtur.

g) quoad *politicam*: admittit jus naturale et legem naturalem independentem ab auctoritate et legibus civilibus existere; attamen civilis auctoritatis jura ita extendit, ut eis jura singulorum omnia plane absorbeantur, atque civitas qua talis sit finis omnium, et absolute dominetur.— Varias reipublicae formas examinat, inter quas aristocraticam praefert, in eaque juxta divisionem trium animae partium, tria potissimum membra distinguit: custodes seu regentes, adjuutores seu milites, artifices seu populi massam. Horum perfectio est, ut custodes sapientia intellectus emineant, adjuutores vero fortitudine animi, θυμῶν, artifices tandem temperantia appetituum; omnes justitia contineantur qua et inter se et civitati debita omnia observent, recteque ad finem civitatis cooperentur. Quem finem societatis non alium esse docet quam ut homines gradatim ad amorem boni absoluti perducantur, quod fiet divisionum causas destruendo quae exsurgant inter homines, et id quod multiplex est ad unitatem reducendo.— Hoc quidem principium in se minime vitiosum est; sed eo misere abutitur Plato in applicatione, suadens communionem bonorum et corporum, educationem in familia nullam, totam ab ipsa nativitate sumptibus et curis publicis, uniformem secundum ejusque indolem, ad civitatis obsequia et bonum publicum. Hinc individuus vera libertas nulla, jura propria nulla, coacta et ab auctoritate civili ordinata et distributa omnia; unde horrenda confusio in societate, nulla parentum in pueros auctoritas, nulla liberorum vera educatio, monstruosa immoralitas oriretur.

6° Mortuo Platone, circa 347 a. Ch. doctrina ejus per plures annos intacta permansit, ast brevi diversa ratione fuit modificata, unde exorta est distinctio inter academiam veterem, mediam, et novam. Quarum etsi doctrinae ita inter se discrepent, ut vix concipiatur quomodo ex uno fonte ortum ducere

queant, non improbabiler tamen ex eo res explicari posse videtur, quod primae academiae philosophi, cum oralem Platonis doctrinam accepissent, adhaeserint ejus doctrinae esotericae seu mysticae, sequentes vero doctrinae ejus exotericae seu publicae, quam varie commentati sint.

7° *Academia vetus* a Platonis mente vix recessit. In ea docuerunt: a) *Speusippus* Platonis consanguineus, vir doctus et acri ingenio, sed moribus pessimis. Is docuisse videtur definitionem supponere cognitionem omnium similium et dissimilium rei definiendae, — bonum non posse admitti ut primum principium, — optimum non esse primum, sed evolutionis terminum.

b) *Xenocrates* Chalcedonius, terminologiam pythagoricam in philosophiam platoniam induxit, Deum monadem, animam universi duadem dixit, etc.

8° *Academia media* jam magis ad scepticismum inclinavit; eam aliqui subdividunt in Academiam secundam (Arcesilai) et tertiam (Carneadis).

a) *Arcesilaus* (315—241 a. Ch.), hoc celebre dicebat: «unum scio, quod nihil scio.» — Sed neque hoc ipsum se certo scire, nec quidquam aliud, sed solas practicas probabilitates mox ejus discipuli admiserunt.

b) *Carneades* Cyrenaeanus (214—129 a. Ch.), ab Atheniensibus Romam missus, philosophandi studio romanam juventutem incendit, Arcesilai dubitationem amplius evoluit. Cui Cato Major adversans, non tamen satis obsistere potuit, ob ambitiones et novitatis curiositates excitatas. Carneadem accusant quod contra Deos multa disseruerit; sed falso, non enim nisi dogmatistarum de Diis assertiones, praecipue Stoicorum de fato, impugnavit. — Etiam oratoris famam assecutus est.

9° *Academia nova* iterum ad dogmatismum rediit; eam quoque aliqui subdividunt in academiam quartam (Philonis) et quintam (Antiochi).

a) *Philo* Larissaeus, Clitomachi discipulus, tempore bellorum Mithridaticorum, ad puriorem platonismum accessit, ethicam maxime coluit, cum Stoicis multa quaesivit conciliare.

b) *Antiochus* Ascalonita, Philonis discipulus, Academiae placita cum doctrina Peripateticorum et maxime Stoicorum conciliare studuit. Illum audivit Cicero, Lucullus secum habuit.

§ 2. SCHOLA ARISTOTELICA.

1° *Aristoteles* Stagirita 384 a. Ch. natus, filius Nicomachi medici, regi Macedoni Amyntae amici, per viginti annos Platonis, dein per tres annos Xenocratis auditor, postea Alexandri Magni per octo annos magister, a quo innumeris manuscriptis et collectionibus postea ditatus fuit. Athenis quum Xenocrates in Academia doceret, ipse in Lyceo, suburbano gymnasio scholam aperuit, deambulans plerumque, unde peripatetici nomen, mane proveciores docebat scientiam occultiore, acroamaticos auditus, vespere autem pluribus concurrentibus communiorem scientiam, exotericos sermones, exponebat. Post Alexandri mortem impietatis accusatus Athenas reliquit,

Chalcidem in Euboeam concessit, ubi paulo post obiit, a. 322 a. Ch. — Is inter maxima totius generis humani ingenia numerandus est; acuitate et rectitudine mira, mediam viam inter extrema omnia indicat, philosophiae nomine nihil contra naturalem rationem humanam vendicans, sed sensui naturae nostrae communi conformia quaeque expoliens, vindicans, aliquando rectificans, semper stabiliens ac defendens; ac si quando et quidem satis graviter errat, id ex eo solum fecit, tum quod experientiae inniti quaerens, modernis nostris instrumentis acutissimisque observandi mediis carens, ea necessario ignorare debuit quae nostris ultimis saeculis patefacta sunt; tum quod extra revelationem supernaturalem vivens, lumine ille orbus erat, quo a solis christianis scholasticis superari potuit.

2° *Methodus ejus* est, ut nihil a priori construat, nihil ex solis innatis, vel ex solis ideis evolvat, sed facta experimentalia observet, naturales effectus ad causas et ad leges universales reducat a posteriori; nec tamen solis factis inhaerens sensibilibusque notionibus, sed ope ratiocinii, et principiorum analyticorum applicatione ad suprasensibiles considerationes ascendens, altiores et altissimas causas attingat atque ordinatas inter se perspiciat. Inductiva igitur generalis methodus, in particularibus vero conclusionibus saepe deductiva. — Hinc factum est *a)* ut lingua minus quam Plato poetica, magis scientificè determinata et ampliata usus sit; — *b)* ut factis naturalibus observandis intentus, nullam fere humanam scientiam intactam reliquerit, omnia tractaverit, praesertim vero physica naturalia quaevis, tum cosmica, tum biologica et organologica, tum psychologica, sed et liberalium artium, rhetoricae, poeticae, praecepta scripserit quae etiamnum tractatum omnium circa eas res fundamentum sint; — *c)* ut etiam minimis rerum partibus, accidentibus, circumstantiis, possibilitatibus attentus, nihil negligere in observationibus docuerit; quod quidem hodie si melius fit, ab eo tamen doctrina et conatibus faciendum esse monstrabatur. — Si cum Platone comparatur Aristoteles, ille ut argumenti creator, iste ut ejusdem distributor haberi potest. Frequenter Platonis idearum theoriam impugnat, nec tamen idealium ordinem veritatum negat, admittitque notiones indemonstrabiles; principium vero empiricae experientiae, « nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu », multum extollit, nec tamen materialismi vel sensualismi accusari potest, qui sublimissimas metaphysicas veritates et causas, ipsumque Deum consideratione attingit.

3° Universam philosophiam alias aliter dividit, nihil enim vel parum interesse aestimabat quomodo dividatur; notior est divisio ejus in practicam et theoreticam; cui ut instrumentum praemittit logicam; theoreticam subdividit in physicam et metaphysicam; practicam vero in ethicam et politicam.

a) In *logica* ea fere exponit quae hodieum scholastici philosophi docent (cfr. *Logic.*), suntque illi quinque libri quorum collectio *Organum* vocata passim est.

b) In *physica*, cui scientiae ipse omnium antiquorum maxime contulit,

mundum explicare conatur ope trium principiorum, quatuor causarum, quatuor elementorum, et legum motus.

Principia tria corporum in fieri sunt materia, privatio, forma (cfr. *cosmolog.* prop. 54).

Causae quatuor sunt tum intrinsecae corporum in statu esse: materia et forma (cfr. *cosmolog.* prop. 53, et *ontolog.* prop. 66), tum extrinsecae rei cujusque: efficiens et finalis (cfr. *ontolog.* prop. 56, sqq., et 64, et *cosmolog.* prop. 32 sqq., 38 sqq.).

Elementa quatuor sunt alia primordialia: terra quae est gravis, et ignis qui est levis; quae junguntur duobus aliis elementis inter se analogis, quorum alterum, aqua, de natura terrae, alterum, aer, de natura ignis participat.

De *Motus* natura et legibus, cfr. *cosmol.* prop. 25, sqq.

Continetur haec Aristotelica doctrina in libris « *de rebus physicis*, — *de generatione et corruptione*, — *de meteoris*, — *de orbe universo*, — *de coelo*. »

Ad physicam specialem spectant libri: « *historia animalium*, — *de partibus animalium*, — *de generatione animalium*, » — summo labore et sagacitate compositi, — quibus alii aliqui passim, sed incertae authenticitatis, adduntur.

c) Physicae subnectit *psychologiam*, libris tribus *de anima* et aliis pluribus de quaestionibus variis particularibus quoad vitam. In his ea fere docet praecipua omnia quae scholastici etiamnum tenent de tribus vitis, de anima hominis unica, corporis forma substantiali, spiritali, ingenerabili et incorruptibili, de origine idearum, etc. (cfr. *organolog.* et *psychol.*). Utrum animam immortalem an aliquando mortalem admiserit, non bene certum nobis est, at Deum agnoscit Dominum qui tribuat bona vel mala pro meritis; id quod profecto in hac vita non obtinet.

d) In *metaphysica*, quam ipse vocat *philosophiam primam*, ea fere docet quae scholastici recentiores in *Metaphysica* generali (cfr. *Ontolog.*).

e) *Quoad Deum*: primum motorem a materia distinctum admittit, ast in evolvendis divinis attributis, multa quidem pulchra et vera habet, sed in nonnullis hallucinatur, praesertim circa creationem et scientiam divinam ac providentiam, quam negat. De Deo nullum specialem librum nobis reliquit, qui de omnibus specialiter egit!

f) In *ethica* multo inferior Platone, Virtutem in mediocritate collocat, i. e. exigit ut media sit virtus inter duo vitia contraria; quam opinionem postea S. Thomas et Scholastici multis prosequuntur. Fines virtutis juxta Aristotelem est voluptas quae ex dicta mediocritate generatur; idque passim exprimit dicens felicitatem in exercitatione perfectae virtutis consistere, ponitque proinde beatitudinem in bono prorsus humano, Plato vero in divino. De virtutum natura et divisione ac subordinatione acute et bene disserit, libris 10 *ethicorum ad Nicomachum*, 7 *ethicorum ad Eudemium*, 2 *magnum moralium*.

g) In *politica* Philippo et Alexandro M. plus aequo assentans, monarchiae et quandoque despotismo favet, et varia alia ex institutionibus illius temporis vitiosa, praeceptis quibusdam bonis immiscet.

4° Moriens Aristoteles scholae suae curam demandavit Tyrtamo, Lesbio, qui ob eloquentiam nomen *Theophrasti* accepit, cui ad Augusti usque imperium successerunt *Strato, Lyco, Aristo, Critolaus*. Hi vero omnes in doctrina magistri plura innovaverunt. Praeter eos clari fuerunt alii non pauci.

§ 3. SCHOLA ZENONICA.

1° *Zeno* Cittius a. 350 a. Ch. natus, anno aetatis tricesimo cum Athenas venisset, primum Crateti, cynicae sectae tum principi, adhaesit; dein aliarum sectarum doctores audivit, et ex variorum placitis novum sibi systema conflavit, non completum illud quidem sibi cohaerens, at praesertim ob severam doctrinam moralem celebre, et satis diuturnum. Multos habuit asseclas, imprimis apud Romanos, ad fortia agenda et ferenda pronos. — Disputare solebat Athenis sub porticu, *στοῶν*, unde nomen accepit ejus schola.

2° Docebat philosophiam seu sapientiae studium esse perfectum bonum, i. e. virtutem, in qua hominis beatitudo consistat; — virtutem non in sola praxi sed et in scientia sitam esse; — triplicem igitur esse philosophiae partem: logicam, physicam, moralem.

a) *Logicam* dividit in *rhetoricam* quae in exornanda veritate, et *dialecticam*, quae in invenienda veritate versatur. — Multum insistit in axiome: «Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu;» — est anima ex sua natura tabula rasa cui nihil inscriptum; cui proinde omnia inscribi debent, primo in sensationibus, ex quibus deinde intellectus abstrahens conceptus desumit, quibus a parte rei nihil nisi res singulares correspondent. — Quatuor sunt conceptus vel categoriae supremae: substantia, proprietas essentialis, quantitas, proportio. — Ex conceptibus intellectus format iudicia et ratiocinia. — Criterium veritatis reponit in phantasiae seu repraesentationis claritate tanta, ut intellectus de re apprehensa persuasionem firmam assequatur. — Multus est *Zeno* in refutando *Democrito*, qui contendebat nos sensationes de rebus externis accipere per effluvia quarumdam minutarum particularum; quod si verum esset, externam tantum superficiem rerum cognosceremus. — *Epicureos* modo valde logico impugnavant Stoici, nec mirum, cum plures ex Stoicis ingenio admodum acuti fuerint, et praecipue cum atomismus logice valde absurdus sit.

b) In *physica*, a qua psychologiam et theologiam non distinguit, spirituum existentiam negat, nec tamen crassum materialismum admittit, sed sensationibus, omnibusque tum corporalibus tum intellectualibus phaenomenis, ut centrum unitatis assignat *sensum* quemdam *directorem*, quem graece *τὸ ἡγεμονικόν*, latine regium vel principale vocant. Hunc dicit esse «scintillam ignis divini» in aethera sparsi. — Et sicut homo, substantia una, duabus partibus constat, una interiore, activa, directrice, altera exteriori, passiva, directa; ita et magnum totum quod mundus vocatur, constat parte invisibili,

activa, dirigente, quae est aether purissimus, seu Deus, et altera visibili, passiva, directa, quae est materia. — Deus itaque aeternus, universalis, prima causa est quae actione sua omnem materiam penetrans, ei formam indidit. Dei igitur existentia ut rationis ordinantis mundum, probatur ex ordine mundi; potestque Deus spectari ut anima mundi et ut ratio universalis. — Mundus autem non solum est totum aliquod animatum, magnum animal, sed etiam totum rationale; cujus omnes partes inter se ligatae sunt, et in se mutuo agunt. — Est igitur in eo perpetua et necessaria causarum connexio quae omnia regit, nempe datur fatum cui omnia subjecta sunt; Deus enim ex necessitate naturae suae agit; — nec verae libertati humanae locus superest, etsi eam verbis utcumque salvam facere conati sunt aliqui stoici.

c) In *Ethica*, quod justum, honestum, sanctum est, hoc unicum esse bonum docet, quod vero injustum, hoc unicum esse malum; prius esse appetendum, utpote solam propriam hominis felicitatem; posterius fugiendum; reliqua omnia esse indifferentia, quae proinde virum vere sapientem minime possint movere. — Sapientis nimirum perfecta forma est, ut sit perfecte indifferens erga omnia bona et mala externa, liber a passionibus, constans in omni eventu et necessitudine, atque ita Deo similis sibi sufficiens, alios tamen homines ut compartes amans, iis benevolus, erga omnes justus. — Ergo sapienti servandus immotus quietusque animus semper, casus adversi fortiter ferendi; sequenda natura, et si forte ea nobis adversetur, tunc vita est suicidio abjicienda. — Licet autem ex principiis stoicorum sequeretur inimicos esse diligendos, practice tamen id minime praestiterunt. — Stoicorum itaque distinctivus character est superba austeritas et exaggerata constantia.

3° Post Zenonem praecipui Stoici fuerunt:

a) *Cleanthes*, Assius (ex Troade), pauperrimae conditionis; paupertatem secundum philosophiam tulit; docuit sedem animae mundi esse solem; animam humanam a parentibus in filios traduci; Dei existentiam probari ex ordine mundi, ex innata idea entis divini, ex terrore quem in nobis excitant insoliti naturae eventus.

b) *Panaetius* Rhodius, 180—111 a. Ch. Scipioni et Laelio familiaris, doctrinam stoicam ingenio et moribus Romanorum temperavit.

c) *Possidonius* Apameensis, Stoicismo doctrinas Platonicas et Aristotelicas eclecticè adjunxit. Eum Rhodi docentem audiverunt Cicero et Pompeius. In eo secta Stoicorum primum defecit, circa 50 a. Ch., cum per 260 annos stetit. — Postea tamen extra scholarem traditionem Stoica doctrina non paucos alios occupavit: cfr. infra.

§ 4. SCHOLA EPICUREA.

1° *Epicurus* Gargettinus, ex Attica, circa 341 a. Ch. natus, successive Platonis et Democriti discipulos audivit, et tum Socraticorum tum Eleatensium libros pervolvit, atque ex horum praecipue principiis novam doctrinam conflavit, quam Athenis ad instar Platonis in peramaeno horto docuit, innumerisque libris explicavit. — Exemplo Socratis universam philosophiam ad praxim referendam ducens, beatitudinem ut unicum finem proposuit, eoque quaecumque logica, cosmologica, physica, theologica, ethica vel politica attigit, constanter reduxit.

2° Doctrina ejus ad ista reduci fere possunt :

a) In *Logica*, duas in intellectu operationes distinguit : sensationes et anticipationes. — Sensationes sunt impressiones quas ab objectis externis accipimus, quarum naturam et formationem cum Democrito explicat, ope emanationum ab ipsis objectis externis profectarum, et cum hominis organismo se combinantium. — Anticipationes sunt sensationes generalisatae, seu notiones ex repetitis sensationibus efformatae, sine quibus ratioeinari non possumus. — Cum sensationes non sint nisi ipsa naturae actio, in ipsis unicum veritatis notam seu criterium contineri statuit. — Hac veri cognoscendi regula instructus, homo omnes dolorum causas vitare, et quantum fieri potest a se remove tenetur. Ad eundem vero finem obtinendum, mundum quoque cognoscere oportet.

b) In *Cosmologia* statuit materiam ex simplicissimis partibus, ex atomis constare, quae perpetuo motu a se invicem vel attrahantur vel repellantur, et varias identidem formas induant. — Ad hanc Democriti doctrinam ut mundum ex fortuito atomorum concursu sibi componat, addit motum obliquum et clinamen.

c) In *Psychologia* : quum praeter atomos et vacuum nihil sit reale, anima humana ex atomis composita, hinc materialis et mortalis est; constat autem ex atomis subtilissimis et maxime rotundis, nempe ex ignea, aerea, luminosa, et quarta aliqua anonyma atomo quae est principium sensationis. — Repraesentationes rerum fiunt per imagines, quae a corporibus emanantes, in animam penetrant. — Voluntas animae excitatur quidem objectorum apprehensione, nulla tamen ratione subjacet necessitati vel fato.

d) In *Theologia* : Dii sunt aeterni, et constant ex atomis; — eorum cognitionem acquirit homo per imagines, praecipue in somniis; — sunt beatissimi, nec proinde anxii de mundo formando et gubernando, sed rerum nostrarum plane incurii; — quare non ob influxum suum in sortem nostram sunt timendi, sed ob naturae suae excellentiam sunt venerandi.

e) In *Ethica* : summum bonum hominis est beatitudo, i. e. voluptas, seu absentia ingratarum, praesentia gratarum sensationum; — ergo cavendum ne sensationes gratas eas, vel eo modo, admittamus, ut ingratas post se trahant; — prudentia igitur summa virtus est, cui sociari debent temperantia et justitia.

f) In *Politica* : eandem beatitudinem statuit ut finem et vinculum societatis, quae ex pacto tantum inter homines constat, ac solvi potest quum primum haec intento scopo non amplius inservit.

3° Est ergo Epicurus vel secretus atheista, vel certe inconsequens theista; ac per suum systema ad maximam immoralitatem homines seduxit. Habuit discipulos plurimos, passimque late diffusa est ejus doctrina; sed ob turpe ignaveque otium pauci discipuli innotuerunt. — Ultimus scholae magister fuit *Diogenes* Tarsensis, circa 63 a. Ch. — Alii tamen multi, etsi nulla schola jam erat, his doctrinis adhaeserunt, etiam apud Romanos tempore imperatorum (cfr. infra).

ARTICULUS 4.

Scepticismus Pyrrhonicus.

1° *Pyrrho* Elius, coaevus Alexandri Magni, docuit nihil a parte rei esse pulchrum, justum, verum; idem esse et non esse; ea omnia lege et consuetudine determinari; — res nostrae cognitioni esse prorsus impervias; unde abstinendum ab omni iudicio; — quae animi suspensio sit omnis felicitatis fundamentum, quietis nempe quae nulla re turbari possit.

2° Pyrrhonis discipuli plures fuerunt, quos inter emicuit *Timon* Phliasius, qui item beatitudinem in otio intellectuali seu abstinentia ab omni iudicio reposuit; — de nulla re certi quid sciri posse; id enim aut experientia aut ratione cognosceretur; atqui non experientia, cum sensus sit subjectivus, et pro variis circumstantiis variabilis; neque ratione, quia res ipsae sunt in perpetuo fluxu, carent omni firma determinatione, et quia nulla est veritas contra quam non tot sint rationes quot sunt pro ea.

3° Ad scepticismum, moderatum tamen, inclinabat Academia media, solam certitudinem negans, probabilitatem ejusque varios gradus admittens; de qua cfr. supra.

4° Pyrrhonis sceptisim audacior renovavit *Aenesidemus* Gnossius, circa 80 a. Ch.; dubio utitur ad refellendos dogmatistas et Heracliti systema restaurandum; — decem enumerat fontes dubii, scilicet a) diversitatem individuorum viventium generatim, quibus proinde diversimode apparere objecta sensuum debeant; b) diversitatem etiam inter homines, tum in corpore tum in anima, qui ergo varie de rebus sentire debeant : quis autem verius? c) varietatem facultatum sensitivarum etiam in uno eodem homine; d) adjunctorum varietatem sub quibus eadem res nobis se exhibent; e) situum, intervallorum, locorum diversitatem; f) permixtiones impressionum ex variis objectis in nobis productarum; g) variationes corporum quoad quantitatem et structuram, unde variae in nobis sensationes; h) varietatem relationum quibus res variae sive ad se invicem sive ad nos subsunt, dum se nobis manifestant; i) ipsam frequentiam vel raritatem rerum quae nobis appareant, vel nostrarum de iis perceptionum; k) varietates inter victum, mores, leges, mythicas

fabulas, dogmaticasque hominum sententias ac praejudicia; — ex his omnibus concludit nunquam certum fore, utrum praesens rei perceptio rei naturae correspondeat objective. — Etiam principium causalitatis impugnat, quia a) hoc dicit relationem, relatio autem omnis non tota realis est sed a cogitantis consideratione dependet, b) quia causa effectum suum nec sequi nec comitari potest, ut patet, sed nec praecedere potest, nam quamdiu effectus non est, tamdiu causa correlata nondum est causa.

SECTIO 3.

PHILOSOPHIA ROMANA.

1° Romani bello rebusque gerendis penitus dediti, quemadmodum litteraria, ita etiam philosophica studia dudum neglexerunt, imo et legibus prohibuerunt; donec devictae Graeciae litteris et scientiis exculti, ac praesertim per missos ex Graecia legatos philosophos *Carneadem Academicum*, *Diogenem Stoicum* et *Critolaum Peripateticum*, 155 a. Ch., etiam philosophiam acceperunt cum omni multitudine graecorum systematum. Fuerunt autem alii qui ex variis doctrinis ea quae praeplacebant seligerent, atque in unum combinare satagerent: ii eclecticici dicuntur; alii vero alia integra systemata susceperunt, proprium ac novum systema nullus habuit.

2° *Eclecticis* maximae notae fuit *M. Tull. Cicero* (106—34 a. Ch.), qui in juventute magistros habuit Athenis Epicureos, Academicos et Stoicos. — In *logica* sequitur mediam academiam; hinc saepe dubius haeret, saepe ad testimonium conscientiae, ad consensum generis humani, ad notiones naturae inditas recurrit; — In *physica*, etsi eam non contemnendam censet, manet anceps; negat autem firmiter mundum esse casu ex concursu atomorum formatum. — In *theologia*, valorem tribuit consensui populorum Dei existentiam testanti; admittit providentiam. — In *psychologia*, animam hominis esse nobilioris originis, et immortalem, admittit et probat, non tamen omnino certus videtur; contra Stoicos defendit animae libertatem. — In *ethica*, refutato epicureismo sequitur Stoicos moderatos. Virtus est bonum primarium et supra omnia alia bona aestimandum; num virtus ad felicitatem sola sufficiat dubium est. Sapiens debet sine passione (i. e. perturbatione) esse, et virtus practica est primaria ac ceteris anteponenda: «agere considerate, pluris est quam cogitare prudenter.» — In *politica*: status optimus reip. est, ut ex tribus generibus: regali, optimati, populari, confusa modice sit.

3° *Stoicismum* sequebantur viri dignioris conditionis, propterea quod cum ingenio Romano apprime quadrabat: quia docebat fortia agere et pati, — quia negotiis publicis incumbere permittebat et instruebat, — quia inter cetera systemata maxime dignitati humanae et rationi consonus. Hinc etiam factum est ut posterioribus saeculis Stoici prae ceteris omnibus sectis facilius ad christianam religionem converterentur; quia illis in morali fere

nihil innovandum erat nisi intentio mentis. — Inter eos eminuerunt:

a) *Scipio Africanus*, *Cato* uterque, *M. Brutus*...

b) *Lucius Annaeus Seneca* Cordubensis, Neronis praeceptor, celebris ob doctrinam philosophicam quam exilio pulsus fortem et sublimem scripsit.

c) *Epictetus* Phryx, qui nobis perelegans enchiridion reliquit, in quo totam philosophiam Stoicam optime explicat. Impugnat tamen suicidium, et pro primo principio morali inculcat illud: «Sustine et abstine.» Ast damnare et proscribere videtur affectus animi maxime legitimos.

d) *Marcus Aurelius Antoninus*, imperator, eandem doctrinam tenet, prout ex ejus «enchiridio, ad seipsum» patet. In hoc plura jam dogmata christiana apparent.

4° *Epicurismum*, sub Augusto ejusque successoribus usque ad Antoninum Pium, plerique litterati et eruditiores Romani tenebant, eumque perversiore sensu intellectum palam profitebantur, et practice omni abjecto pudore sequebantur.

5° *Cynismum* resuscitare conati sunt: *Crescens* qui *M. Aurelium* ad vexandos Christianos impulit; et alii aliqui moribus perditii viri.

6° *Scepticismum* Pyrrhonis resumpsit *Sextus Empiricus*: is nobis reliquit hypotyposes Pyrrhoneas et 11. libros contra mathematicos seu philosophos dogmaticos. — Ut autem rite percipiatur differentia inter scepticos et dogmaticos hujus temporis, observandum est ambos admisisse aliquod criterium practicum, ita ut homines sufficientem certitudinem acquirere possint ad agendum in praxi; at tota controversia circa possibilitatem vel existentiam criterii speculativi versabatur, quod nos certos reddat de relatione quae intercedat inter apparentias et realitates. Tale admittebant dogmatici, repudiabant Sceptici. Argumenta multis exponit *Sextus Empiricus*, quae non in eo peccabant quod asserebant criterium illud a priori probari non posse, sed in eo quod hujus criterii demonstrationem exigebant.

SECTIO 4.

PHILOSOPHIA ALEXANDRINA.

Alexandriae sub Ptolemaeis omnes artes et scientiae floruerunt; quamobrem multi graeci philosophi diversorum systematum, simul et plurimi ex omni natione sapientes cum suis traditionibus ibi conveniebant. Ex tanta opinionum et religionum varietate ortus est quidam syncretismus (N. B. Ita vocatur philosophia quae derivatur ex conjunctione et associatione placitorum ex diversis systematibus depromptorum; sed si delectus fit satis sapienter ac prudenter, ita ut non nisi recta et utilia ex quolibet systemate velit assumere, et in unum redigere, vocabitur *eclectismus*; sin autem caeco modo colliguntur notiones a variis philosophis traditae, ita ut systema

aliquod integrum et sibi cohaerens nullum efforment, compilatio illa vocabitur potius *syncretismus*. Practice non idem omnes dicent eclecticum vel syncreticum, sed different pro cujusque opinione). Ad expositionis faciliorem claritatem dividemus ordine dicenda :

Articulus 1. De philosophia Judaeorum.

Articulus 2. De Neopythagorismo.

Articulus 3. De Neoplatonismo.

ARTICULUS 1.

De philosophia Judaeorum.

1° Judaei Alexandriae multi habitabant; eorum aliqui doctiores revelationis Mosaicae divinitatem super omnia eminere tenentes, cum tamen graecorum sapientiam negare vel non mirari non possent, apud se tanquam indubitabilia principia statuerunt : a) revelationem biblicam esse summam sapientiam, in qua etiam omnis graecorum philosophia contineretur implicite et eminenter; b) non ex ratione sed ex revelatione biblica fuisse primitus a Graecis haustam eorum sapientiam omnem; c) eo solum ea differre, quod in bibliis veritas figuris involuta proponeretur, a graecis vero rejectis figuris nuda et pura exhiberetur. — Exinde concordiam ostendere quaerentes, bibliorum paginas, rationalistarum instar, interpretari, accommodare, ad graecorum placitorum normam contorquere, allegorias ubique censere inveniendas et explicandas coeperunt.

2° *Aristobulus*, circa 160 a. Ch., primus syncretismum illum tentavit; ac circa idem tempus *Aristeas*.

3° *Philo*, natus circa 25 a. Ch., primus sensum allegoricum induxit :

a) *quoad Deum* : Deus est incorporeus, simplex, distinctus a mundo, ejusdemque causa libere efficiens, est incomprehensibilis et ineffabilis, omnibus rebus praesens per solam virtutem; — Deus producit mundum sine contactu cum materia, mediate per verbum, *λόγον*; — Verbum est ens intermedium inter Deum et Creaturas; apud Deum habitans tanquam ejus sapientia, tanquam locus idearum; et in mundum dispersum tanquam ratio divina in eo se manifestans; — dispescitur illud Verbum in inferiores multas ideas universales, genericas et specificas, tanquam in angelos et daemones, divinitates inferiores, Deo obediens, immortales, partes Verbi quod est universalissimum et summum omnium quae non ipse Deus sunt. Verbum non increatum est sicut Deus, sed nec creatum sicut reliqua, est enim relate ad Deum filius primogenitus, relate ad nos quasi Deus; ac per Verbum Deus mundo se manifestat, per Verbum mundus apud Deum repraesentatur tanquam per mediatorem et pontificem.

b) *in physica* *Philo* sequitur *Aristotelem*. — Materia quatenus opponitur vi formatrici Verbi, est origo mali; — dies quibus Deus universe creavit, indicant tantum ordinem logicum.

c) *in psychologia* : homo duplicem animam habet, rationalem et irrationalem; — rationalis fluit ex Deo, et ob culpam admissam ex angelorum consortio in corpus dejicitur; haec habet facultatem sensibilia percipiendi, ratiocinandi, intuendi immaterialia et quidem primo ipsum Deum; — irrationalis anima est radix passionum et cupiditatum, ac proinde non a Deo sed a subordinatis geniis producitur.

d) *in ethica* : finis hominis est intuitio Dei, quam homo abjecta sensualitate consequitur. — Inde duplex vita, activa et contemplativa, quarum prior alteri subordinata; — virtutes vitae activae sunt prudentia, fortitudo, temperantia, justitia; — virtutes vitae contemplativae disponunt ad intuitionem, v. c. fides, spes, paenitentia, etc; vel ad eam conducunt, v. c. sapientia. — Ergo sapiens ille solus est qui se ad vitam contemplativam applicat.

4° *Flavius Josephus* secundus post *Philonem* religionem judaicam ab objectionibus et calumniis philosophorum gentilium vindicavit, eximius ipse historicus, duobus suis libris adversus *Appionem*, et altero de *Macchabaeis* seu de imperio rationis, clarus.

5° *Rabbi Jehuda*, initio saeculi 2ⁱ post Ch. conscripsit librum cui titulus *Mishna*, i. e. secunda lex, quae textum primigenium legis traditionalis continet, quem 60 seniores memoriter discere tenebantur, ut ferunt judaei. — Huic libro centum annis postea *Rabbi Johanna* aliique supplementum addiderunt quod inscribitur *Gemarrha*. Hi duo libri veniunt nomine *Talmud Hierosolymitanae*. Cui saeculis 4^o et sequentibus addita fuit *Talmud Babylo-nica*. De hac posteriore plerumque agitur dum apud auctores de Talmude fit mentio. Utraque est congeries maxime fabulosa, in qua verae et falsae traditiones cum Gentilium figmentis passim commiscentur.

6° *Rabbi Akiba* et *Rabbi Jochai*, saeculo 2^o p. Ch., et alii, sapientiam judaicam eolverunt, quae vocatur *Cabbala*. Haec, ad normam numerorum Pythagorae et idearum Platonis, per emanationes lucidas, omnium rerum visibilium et invisibilium ortum, ex primigenio fonte omnis Esse deducit. Versatur magna ex parte circa artem divinatoriam, docet modum arcana inquirendi numerorum ope. — Tota philosophia cabbalistica est colluvies informa Chaldaicorum, Pythagoricorum, Platoniorum, et Judaicorum placitorum, ab Arabibus tempore dominationis Sarracenorum, ex Talmude aliisque traditionibus collecta.

ARTICULUS 2.

De Neopythagorismo.

P. Nigidius Figulus restitutor scholae Pythagoraeae, circa 50 a. Ch.; — et praecipue *Apollonius Thyanaeus*, qui sub Nerone, fictitiis miraculis maximam sibi apud vulgus aestimationem comparavit, cum Pythagorae placitis doctrinas orientales sociavit; — *Moderatus Gaditanus*, sub Nerone, symbolismo numerorum indulgens; — *Nicomachus Gerasenus*, paulo ante Antoninos, numeros docet ideas esse in mente divina praeexistentes.

ARTICULUS 3.

De Neoplatonismo.

Neoplatonismi generalis indoles ea est, ut *Platonis* philosophiam cum *Orientalibus religiosis* notionibus in unitatem redigere conetur, nempe in eclectismum unum *emanationis idealisticae*, ac *mysticismi* exaggerati, unde et in superstitiones theurgicas, magicas, necromanticas, mox proruerit. — Distingui possunt tres praecipuae scholae: Alexandrina-Romana, systema fundans et evolvens; Syriaca, in phantasticam theurgiam imprimis inclinans; Atheniensis, ad saniora placita rursus paululum accedens. — Omnes autem Christianismo jam propagato infensissimae.

§ 1. Schola Alexandrina Romana.

§ 2. Schola Syriaca.

§ 3. Schola Atheniensis.

§ 1. SCHOLA ALEXANDRINA ROMANA.

1° *Ammonius Saccas*, Alexandrinus, 176—250 p. Ch., primus Neoplatonismi auctor.

2° *Plotinus*, 205—270 p. Ch., systematis excultor et scholae proprie fundator, Ammonium audiit Alexandriae, Romam venit ibique docuit. Ejus doctrinae summa haec est:

a) *quoad Deum*: Omnium principium est absolutum bonum, unum, quod nec objectum nec ratio est, nec movetur nec quiescit, nec est in tempore nec in spatio, omni omnino determinatione caret, non cogitans aliquid, sed ipsum absolutum esse et cogitare. — Quidquid est aut esse potest, ab omni aeternitate fuit in illo esse absoluto, a quo omne ens determinatum emanat. — Emanatio fit sine ulla mutatione vel alteratione entis absoluti; ratio vero emanationis et communicationis est bonitas illius entis. — Primum quod ab absoluto fluit, tamquam a sole lux, est intelligentia absoluta, *νοῦς*. Haec quatenus absolutum contemplatur, fit subjectum, et ab eo distinguitur, et quatenus possibile in absoluto considerat, possibile determinat. Est ergo et ipsa prima realitas determinata, et omnium realitatum fundamentum et principium.

b) *quoad mundum*: Ab intelligentia emanat anima universalis, tamquam ejus imago, quae ab ipsa non realiter distinguitur. — Anima dum res, i. e. exemplaria, in intelligentia contemplatur, secundum illas agit: inde oriuntur omnes animae particulares, quarum vires aliae ad intelligibilia, aliae ad sensibilia sunt directae. — Anima, lumen illuminatum ab intelligentia, emittit lumen, et in termino luminis emissi videt tenebras, quae sunt materia sensibilis. — Materia sensibilis est aliquid omnino indeterminatum, privatio realitatis, ac proinde origo mali. Est autem capax ut inde aliquid reale fiat

per formam, i. e. per ideam quam anima contemplatur in intelligentia. — Ex unione ideae cum materia oritur corpus, mundus sensibilis, qui dicitur speculum, imago realitatis mundi intelligibilis. — Ergo cum reale substratum desit, nulla est proprie realitas mundi corporei.

c) *quoad hominem*: Solum per corpora animae immateriales multiplices esse apparent; de se autem sunt aliquomodo confusae cum anima universali, et ideo per magiam in invicem agere possunt in distans. — Animae humanae, eo quod materiam sensibilem immediate attingunt, ei nimium adhaerent, ob idque in malum prolabantur. — At quantumvis anima humana corpori adhaereat, semper aliqua ex parte in animae universalis conjunctione perseverat, et per eam cum intelligentia communicans, neglecta sensuum fallacia, veritatem assequitur et intuitionis absoluti unius capax fit. — In hoc statu, anima comparans malum in quod lapsa est, cum bono quo ante fruebatur, ad gradum a quo descenderat ascendere cupit, ac per animam universalem, et in ea per intelligentiam, ad absolutum pervenire in ejusque intuitionem exstatica conquirere adnititur. — Finis igitur hominis est exstatica intuitio.

d) *quoad ethicam*: Finem illum homo assequi nequit nisi deserat passiones, se a vinculis sensuum solvat. Eoque perfectior homo est quo magis a sua individualitate recedit. — Virtus est medium ad finem ultimum, consistitque in assimilatione cum Deo. — Distinguit Plotinus virtutes vitae civilis, purgativae et contemplativae. — Omnes animae sunt immortales; — eae quae ab omni sensualitate purgatae sunt, in aeternum felices erunt; animae malae in diversa corpora aguntur.

3° *Porphyrus*, 233—304 p. Ch., acerrimus christianae religionis adversarius, Plotini magistri sui doctrinam interpretatur; concordiam inter Plotinum et Aristotelem adducere conatur. — A Plotino differt eo quod potius practicam quam religiosam doctrinam prosequitur; — magicam, theurgicas initiationes, daemonum cultum approbat. — Notissimus ejus est liber de quinque praedicabilibus.

§ 2. SCHOLA SYRIACA.

1° *Jamblicus*, Chalchide in Coelesyria natus, obiit 330 p. Ch.; Porphyrium magistrum suum fama, non ingenio, superavit; — philosophiam Neoplatonicam cum mysticismo Pythagoraeo et cum polytheismo ac theurgia commiscuit (*Theurgiam* intelligit artem per mysticas operationes ineundi commercium cum Diis beneficis, tum Graecorum tum Orientalium, ab iisque prodigiosa obtinendi; — *magia* est eadem ars relate ad Deos maleficos; — *theosophia* vero est ars se cum Deo ope rituum quorundam mysticorum jungendi). — Ejus doctrinae summa haec fere est: Principium primaevum est ens maxime indeterminatum, superius etiam ipso Plotini uno absoluto vero bono; — ex illo emanat mundus intelligibilis (idearum), ex quo fluit porro mundus entium intellectivorum; — dein sequitur emanatio animae; — atque ultimo emanat ens sensibile.

2° Jamblici successores potius sacerdotium exercere quam philosophiam docere visi sunt. — Ab eis institutionem accepit *Julianus Apostata*. — Inter eos celeberrimus fuit *Hierocles* qui philosophiam Aristotelis eandem esse atque Platoniam probare enisus est.

§ 3. SCHOLA ATHENIENSIS.

1° *Plutarchus*, Nestorii filius, obiit 433 p. Ch., et *Syrianus*, primi Athenis Neoplatonicam scholam aperuerunt.

2° *Proclus*, 411—485, praecipuus recentiorum Neoplatonicorum; philosophiam Plotini etiam dialectice probare conatus est.

3° Procli discipuli plures fuere, successores in Schola regenda: *Marinus*, — *Isidorus*, — *Zenodotus*, — *Damascius* qui scholae ultimus praefuit a. 520; suppressis vero a Justiniano scholis Atheniensibus philosophicis, a. 529, in Persidem ad Chosroam exsulavit; sed spe frustratus, post pacem a. 533, reversus est Athenas, nullam tamen scholam amplius habuit. — Finis philosophiae graecae paganae; Christianismi victoria. — Postea pauci singulares scriptis Neoplatonismum tenuere.

PARS SECUNDA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE POST CHRISTUM.

Inter plurima atque maximae varietatis systemata philosophica, qualia extra influxum Christianae Religionis exorta vidimus, turpiter in errores omnimodos plurima abibant, praeclariora aliqua surrexerunt, nullum tamen fuit quod omni ex parte veram et sibi cohaerentem doctrinam statueret; sed pauca recte cogitata multis faeditatibus et ineptiis contaminabantur. — Tandem apparuit doctrina simplicissima simul ac sublimissima, speculativa simul et practica, quae et antiquam philosophiam regeneravit, et novam puriorem ac solidiorem creavit: hinc enim humanae naturae dignitatem extollit, illinc tamen superbae rationi limites statuit, cupiditatibus frena injicit, doctos et indoctos communis caritatis vinculo colligat.

Origo Christianae philosophiae investiganda et explicanda non est sicut ceterarum philosophiarum origo: hae enim rationis humanae tentamina sunt, ista divinae rationis manifestatio; — ceterae philosophiae uni alterive genti et tempori prodesse poterant, Christiana vero ad omnium nationum ac temporum homines excolendos, perficiendos et beandos nata est.

Exinde jam omnes philosophicae doctrinae vel speculationes dividuntur in doctrinas conformes symbolo christiano, et doctrinas illi oppositas. Ambas parallelas per tres periodos successivas considerabimus, in quas tota deinceps historia dispesci solet.

Caput 1. Ab Evangelii promulgatione usque ad Carolum Magnum.

Caput 2. A Carolo Magno usque ad Lutherum.

Caput 3. A Luthero usque ad Leonem XIII.

CAPUT I.

AB EVANGELII PROMULGATIONE USQUE AD CAROLUM MAGNUM.

Per totam hanc periodum prae aliis eminet 1) lucta Christianismi hinc quidem cum paganismo paulatim in theurgia et neoplatonismo emoriente, illinc autem cum interioribus dissentionibus haereticorum successive aliorum exurgentium; — 2) evangelicae revelationis non solum propagatio apud omnes gentes, sed et progressiva evolutio et profundior intellectus dogmatum, per rationalis philosophiae applicationem et inquisitionem. — Sint igitur

Articulus 1. De philosophia haereticorum.

Articulus 2. De philosophia Catholicorum.

ARTICULUS 1.

De philosophia haereticorum.

Non omnia haeretica systemata hic exponenda veniunt, sed ea solum quae aliquam cum philosophicis speculationibus connexionem habent. Quae in eo omnia inter se conveniunt; quod christiana dogmata velint admittere tamquam altissimarum quaestionum solutiones, ea tamen interpretari juxta normam philosophiae, eaque praesertim neoplatonismo, tunc maxime vigenti doctrinae, adaptare et intorquere conentur. Ast eo successu id effecerunt ut et ab ethnicis neoplatonicis tanquam Christiani, et a Christianis tanquam infideles impugnarentur. — Omnia dicenda fere ad haec duo reduci possunt:

§ 1. De Gnosticismo.

§ 2. De Manichaeismo.

§ 1. DE GNOSTICISMO.

1° Multa Gnostici ex Platone, sed multo etiam plura ex Orientalibus haurerant sua placita. — Conveniunt fere in hisce punctis: a) Lumen primordiale, quod Bythos, abyssum, vocabant, fuisse originem omnis luminis, et ens pri-

2° Jamblici successores potius sacerdotium exercere quam philosophiam docere visi sunt. — Ab eis institutionem accepit *Julianus Apostata*. — Inter eos celeberrimus fuit *Hierocles* qui philosophiam Aristotelis eandem esse atque Platoniam probare enisus est.

§ 3. SCHOLA ATHENIENSIS.

1° *Plutarchus*, Nestorii filius, obiit 433 p. Ch., et *Syrianus*, primi Athenis Neoplatonicam scholam aperuerunt.

2° *Proclus*, 411—485, praecipuus recentiorum Neoplatonicorum; philosophiam Plotini etiam dialectice probare conatus est.

3° Procli discipuli plures fuere, successores in Schola regenda: *Marinus*, — *Isidorus*, — *Zenodotus*, — *Damascius* qui scholae ultimus praefuit a. 520; suppressis vero a Justiniano scholis Atheniensibus philosophicis, a. 529, in Persidem ad Chosroam exsulavit; sed spe frustratus, post pacem a. 533, reversus est Athenas, nullam tamen scholam amplius habuit. — Finis philosophiae graecae paganae; Christianismi victoria. — Postea pauci singulares scriptis Neoplatonismum tenuere.

PARS SECUNDA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE POST CHRISTUM.

Inter plurima atque maximae varietatis systemata philosophica, qualia extra influxum Christianae Religionis exorta vidimus, turpiter in errores omnimodos plurima abibant, praeclariora aliqua surrexerunt, nullum tamen fuit quod omni ex parte veram et sibi cohaerentem doctrinam statueret; sed pauca recte cogitata multis faeditatibus et ineptiis contaminabantur. — Tandem apparuit doctrina simplicissima simul ac sublimissima, speculativa simul et practica, quae et antiquam philosophiam regeneravit, et novam puriorem ac solidiorem creavit: hinc enim humanae naturae dignitatem extollit, illinc tamen superbae rationi limites statuit, cupiditatibus frena injicit, doctos et indoctos communis caritatis vinculo colligat.

Origo Christianae philosophiae investiganda et explicanda non est sicut ceterarum philosophiarum origo: hae enim rationis humanae tentamina sunt, ista divinae rationis manifestatio; — ceterae philosophiae uni alterive genti et tempori prodesse poterant, Christiana vero ad omnium nationum ac temporum homines excolendos, perficiendos et beandos nata est.

Exinde jam omnes philosophicae doctrinae vel speculationes dividuntur in doctrinas conformes symbolo christiano, et doctrinas illi oppositas. Ambas parallelas per tres periodos successivas considerabimus, in quas tota deinceps historia dispesci solet.

Caput 1. Ab Evangelii promulgatione usque ad Carolum Magnum.

Caput 2. A Carolo Magno usque ad Lutherum.

Caput 3. A Luthero usque ad Leonem XIII.

CAPUT I.

AB EVANGELII PROMULGATIONE USQUE AD CAROLUM MAGNUM.

Per totam hanc periodum prae aliis eminet 1) lucta Christianismi hinc quidem cum paganismo paulatim in theurgia et neoplatonismo emoriente, illinc autem cum interioribus dissentionibus haereticorum successive aliorum exurgentium; — 2) evangelicae revelationis non solum propagatio apud omnes gentes, sed et progressiva evolutio et profundior intellectus dogmatum, per rationalis philosophiae applicationem et inquisitionem. — Sint igitur

Articulus 1. De philosophia haereticorum.

Articulus 2. De philosophia Catholicorum.

ARTICULUS 1.

De philosophia haereticorum.

Non omnia haeretica systemata hic exponenda veniunt, sed ea solum quae aliquam cum philosophicis speculationibus connexionem habent. Quae in eo omnia inter se conveniunt; quod christiana dogmata velint admittere tamquam altissimarum quaestionum solutiones, ea tamen interpretari juxta normam philosophiae, eaque praesertim neoplatonismo, tunc maxime vigenti doctrinae, adaptare et intorquere conentur. Ast eo successu id effecerunt ut et ab ethnicis neoplatonicis tanquam Christiani, et a Christianis tanquam infideles impugnarentur. — Omnia dicenda fere ad haec duo reduci possunt:

§ 1. De Gnosticismo.

§ 2. De Manichaeismo.

§ 1. DE GNOSTICISMO.

1° Multa Gnostici ex Platone, sed multo etiam plura ex Orientalibus haurerant sua placita. — Conveniunt fere in hisce punctis: a) Lumen primordiale, quod Bythos, abyssum, vocabant, fuisse originem omnis luminis, et ens pri-

mum; — *b*) animam duplicem esse, aliam intellectualem, sensibilem aliam; — *c*) seipsos esse partem divinitatis, adeoque se participare independentiae divinae, ac proinde nulli se legi subjacere. Per 2^m saeculum ea deliria in toto imperio romano passim sparsa sunt; at mox saeculo 3^o paulatim emortua, nullum aliud vestigium reliquerunt, nisi quod eorum occasione catholica doctrina attentius perpensa et acutius defensa fuit.

2^o *Simon* cognomento *Magus*, primus gnosticismi auctor fuisse traditur, vir magorum discipulus, Asiae mysteriis initiatus. — Docebat inter Deum et homines intermedios *Aeones*, — et se quoque aeonem esse, i. e. emanationem ex *Bytho*. — Hujus discipulus fuit *Menander* Samaritanus.

3^o *Cerintus* Judaeus, contra quem videtur S. Joannes Evangelium suum scripsisse; is docebat: *a*) mundum non a Deo esse creatum, sed ab aeone inferiore qui Deum non noverat; — *b*) Jesum esse merum hominem, Josephi et Mariae filium, cui in baptismo Joannis unitus fuerit Christus, aeon aliquis, qui virtutem miracula operandi et Deum cognoscendi ac praedicandi contulerit, donec ante mortem Jesu et passionem, ab eo recesserit, nullamque proinde partem in passione et morte ejus habuerit.

4^o *Saturninus* Menandri discipulus, Antiochenus, priore parte saeculi 2ⁱ. Juxta eum: *a*) Deus est ignotus, sed creavit spiritus inferiores; — *b*) isti sunt mundi creatores, et eorum infimi sunt hominis creatores quoad materialem partem, quoad spiritualem vero, superiores; imo ab ipso Deo fuit ad complementum perfecta natura humana, ita ut post corporis mortem reverti in Deum debeat anima; — *c*) Deo hostilis *Satanas* existit, qui ad malum perducere homines conatur per sensualitatem omnimodam: ac propterea rejiciendum etiam ipsum matrimonium tanquam malum est; nec admittenda resurrectio carni corporis; — *d*) hominibus initio dominavit Deus Judaeorum, sed quum is contra Satanam minus esset potens, Deus Ignotus filium suum Christum misit in mundum; at is corpus verum carneum imperfectum assumere non potuit, sed perfectius corpus apparens tantum (docetismus).

5^o *Valentinus* Aegyptius, Alexandriae et postea Romae docuit, obiit Cypri a. 160. Is omnium Gnosticorum celeberrimus, systema evolvit phantasiae aberrationibus plenum, scientifici valoris nullius: ex *Bytho*, Deo ignoto, spiritus inferiores multos, seu aeones, quos veluti ideas platonicas personificatas spectasse videtur, gradatim emanasse, mares et feminas per generationes successivas; ex quorum multitudine, seu pleromate, etiam mundus noster inferior et homo generatus sit. Homines alii hylici, materiales, redemptionis non participes, peribunt cum mundo materiali; alii, psychici, fidei participes sed non ulterius assurgentes, si tamen bene vixerint, in regnum benefici aeonis, *demiurgi*, pervenient; alii, pneumatici, gnostici, per Jesum spiritus supremi participes effecti, per solam suam Gnosim, etiam sine operibus, beatitudinem adipiscuntur: istis nullum jam discrimen inter bonum et malum, omnia licent.

§ 2. DE MANICHAISMO.

1^o *Manes*, nobilis Persa, saeculo tertio, magorum scientiis initiatus, Christianus factus, sed mox ob errores excommunicatus, apud Saporem regem vixit. At propter doctrinas suas Magis invisus factus aufugit; postea occisus est circa a. 277.—Hujus doctrina per plura saecula stetit, consociatio scilicet gnosticorum et magicorum persarum placitorum, phantasiae magis quam theoriae plena. Praecipuum ejus dogma est dualismus, quo explicare contendit mala quae in mundo deprehenduntur (cfr. Theolog. Natur. prop. 22).

2^o Discipuli multi fuerunt, ac mox in multiplicem corruptionem morumque dissolutionem abierunt.

ARTICULUS 2.

De philosophia Catholicorum.

Catholici Patres omnes generatim *eclectici* erant, quod ipse *Clemens Alexandrinus* fatetur explicatque: «Philosophiam autem non dico Stoicam, nec Platoniam, aut Epicuream, aut Aristotelicam, sed quaecumque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent justitiam cum pia sententia, hoc totum selectam dico philosophiam.» — Itaque in moralibus praecipue Stoicos, in dialecticis Aristotelem, in doctrina de Deo, de geniis, de anima humana, ceterisque rebus immaterialibus Platonem sequebantur ducem; sed his omnibus revelationem longe et nulla comparatione admissa praeponerent; quae fuit quasi nota characteristica omnium Christianorum. — Hinc factum est ut paulatim magis philosophice dogmata revelata tractarent, utque unitio Plato, postea paulatim Aristoteles in eorum eclecticismo praevaleret; qui modus philosophandi et rationi admodum atque unice conformis, et religioni summopere utilis fuit, quum eam a cavillationibus impiorum potenter defenderet et clarissime explanaret. Unde et Julianus imperator ejusque asseclae nullum majus religioni detrimentum se inferre posse ratum habebant, quam si philosophiae studium christianis interdicerent.

Ex supra dictis patet quoque apud SS. Patres discernendam esse expositionem dogmatum, v. c. SS. Trinitatis, originis et existentiae mali, spiritus, et materiae; ab explicatione philosophica vel conciliatione dogmatum cum systematibus philosophorum. In priore enim omnes sunt unanimes et ab errore immunes; sed in posteriore variant, estque tanta cujusque auctoritas quanta vis rationum et pondus argumentorum quibus nituntur.

Reduci possunt omnia nunc exponenda ad tres partes:

- § 1. De philosophia Patrum ante Nicaenam synodum.
- § 2. Post Nicaenam synodum usque ad saeculum sextum.
- § 3. Post saeculum sextum usque ad Carolum Magnum.

§ 1. ANTE SYNODUM NICAENAM.

1. Ingenti illi pseudophilosophorum agmini, quod initio contempserant, Christiani se demum opponere coeperunt, eorumque calumnias refellere. Duplici autem via seu methodo id praestiterunt primi SS. Patres rerumque ecclesiasticarum scriptores. — Alii scilicet ostendere contendebant, quidquid verum et sanae rationi conforme in antiquis philosophis reperiretur, revelationi tum Judaicae tum Christianae conforme esse; — alii autem, ex ineptis philosophorum opinionibus et centenis inter sese contradictionibus, demonstrabant cogitationes philosophorum stultas esse, eorumque philosophiam vere inanem et nullam.

2^o Priorem viam tenuerunt: a) *S. Flavius Justinus* Martyr, Palaestinensis, a. 100—166, pertaesus stoicismi, tum etiam peripatetismi, postea pythagorismi, demum in platonismo aliquantum quievit; sed mox intellexit Platonis doctrinam nihil prodesse nisi quantum viam ad Christianam fidem praepararet, quae sola veram et solidam philosophiam continet. — Hunc sequuntur *Tatianus* Assyrius, *Athenagoras* Atheniensis, *S. Clemens* Alexandrinus, nulli alexandrinorum secundus.

b) *Origenes* Alexandrinus, 185—254, Sⁱ Clementis discipulus, vir verbo et scriptis ad miraculum operosus, omnium Patrum maxime ad orientalem philosophiam accedens; admittit cum Proclo praesistentiam animarum (cfr. Psychol. prop. 107), aliaque dogmata ethnicorum; quare de ejus orthodoxia vehementer dubitatum fuit. Scholarum directione ac ipso Sacerdotii exercitio ab episcopo suo privatus, in Palaestinam ad alios amiciores secessit; ac tandem sub Decio imperatore in carcerem ob fidem trusus, postea liberatus, captivitatis doloribus tamen fractus obiit.

Praeter aliquos errores multa tamen praeclara habet, unde et plurimae auctoritatis apud alios tum sui temporis tum posterioris fuit. Ejus doctrina praesertim in explicandis scripturis sacris posita erat. Philosophematum ejus summa haec fere est:

De Deo. Deus est super omnia excelsus, ineffabilis, incomprehensibilis, simplex et incorporeus, natura immutabilis et infinitus, omnipotens, sapiens, et bonus; — unus est, repugnat enim Deorum pluralitas; bonum et malum explicantur per Dei bonitatem et justitiam, quae minime se mutuo expellunt sed potius includunt. — Verbum Dei, *λόγος*, est Dei sapientia personalis, et exemplar omnium, *ἰδέα ἰδεῶν*; per Verbum creata sunt omnia ex nihilo, non ex praejacente quacumque materia.

De mundo. Creatura est ab aeterno creata, quia α) nunquam potuit Deus non exercere suam bonitatem et dominium, et β) initium creationis diceret mutationem in Deo. Attamen non semper hic noster mundus fuit et erit, sed innumeri varii continua serie sibi succedentes mundi. — Duae mundi partes sunt: materia et spiritus. Materia nequit esse sine qualitatibus, neque imo

ab iis realiter distincta est. Spiritus omnes sunt a Deo essentia et perfectione similes creati, et sola propria libertate differentias inter se induxerunt: alii fidelitate erga Deum felicitatem in unione cum eo meruerunt, Angeli; alii infidelitate a Deo remoti fuerunt, et in statum poenae lapsi, qui magis peccaverant daemones effecti sunt, qui vero minus, in corpora humana detrusi, sunt animae nostrae, variis miseriis tum internis tum externis afflictae pro varietate culparum praecedentium. — Ipsam quoque materiam non in eo statu ab initio Deus constituerat, in quo nunc ea est, sed in nobiliori insensibili subtiliori; ex qua, postquam spiritus illi lapsi debebant corporibus carnis uniri, etiam reliquum mundum plasmavit (creaverat autem tantam materiae massam, quantam ex infinita sua scientia praevidebat necessariam fore, pro numero illorum peccatorum).

De anima. Spiritualitatem animae ex cognitionis humanae natura demonstrat; non tamen animam, nec ullum spiritum creatum, existere posse extra omne omnino corpus reputat, sed necessario, etsi extra corpus nostrum mortale, tamen in corpore aliquo aethereo; et immortalem animam esse docet, ast in corpusculo illo aethereo. — Animum esse principium vitae et sensationis et motus in corpore dicit: distinguit quidem inter spiritum, *νοῦν*, et animam, *ψυχήν*; sed hoc ita explicat ludens in voce graeca quae fere eadem animam et frigus dicit, ut spiritus ob refrigeratum in se amorem Dei factus sit anima corporis, debeatque amoris in Deum exercitio et ardore se ex illo corpore liberare atque ad statum pristinae puritatis redire.

De libertate. Hanc ut evidens factum conscientiae admittit; quae et fundamentum omnis virtutis et vitii, omnis meriti et demeriti sit. Ad bonum vero gratia Dei nobis opus est. Malum est entis defectus, accessus ad non ens, privatio.

De eschatologia. Poena animae ob culpam praecedentem, status nempe inhabitationis in corpore, simul est medium meriti et liberationis, quae tamen in praesenti ordine non nisi per redemptionis gratiam attingitur; spiritus ita per meritum bonae vitae in pristinum statum unionis cum Deo restituitur; sed et propter culpas et malitiam hujus praesentis vitae sequitur quidem damnatio in vita futura, at ea non aeterna et irreparabilis, sed medicinalis, purificans, ex qua post multa tandem saecula animae in primaevam beatitudinem unionis cum Deo transibunt; neque id de solis damnatis humanis animabus, verum etiam de daemonibus, de satana, dicendum est; erit proinde finalis ἀποκατάστασις universalis spirituum. Post eam sequetur et corporum universalis resurrectio et transformans glorificatio; atque universi mundi tandem restauratio in statum primitivum subtilem nobilem, in statum scilicet perfectae unitatis omnium creaturarum cum Deo qui ipse in omnibus sit. — At postea novi alius mundi initia erunt, evolventurque multae creaturae variae, donec per eosdem vel similes gradus redeant in unitatem primitivam; — et ita perpetuo fuit eritque mundorum successio infinita.

Late nota et varie disputata fuerunt Origenis scripta et placita, ex quibus non pauca hauserunt sequentes Christiani doctores.

3° Posteriorem methodum tenuerunt : a) *Tertullianus* Carthaginensis, 160—240. Doctrinam Christianam ab omni prorsus philosophica et profana scientia segregatam voluit; et pro nimia acrimonia et intemperantia ingenii sui, etiam spiritualismum Platonis, quem S. Clemens tamen admirabatur, abhorruit. Admittit nempe animam humanam non mere spirituales esse, sed compositam ex parte spirituali et materia aliqua subtili et levi, ac per traducem materialem in generatione produci, atque ita corpori uniri (cfr. *Psycholog. prop.* 103).

b) *Arnobius* Africanus (obiit a. 326), ejusque discipulus *Firmianus Lactantius*, cognomine Cicero Christianus (obiit 330), gentilium philosophiam confutarunt, christianam philosophicis argumentis extulerunt.

§ 2. A CONCILIO NICAENO USQUE AD SAECULUM SEXTUM.

1° Post declaratum Nicaeae dogma divinitatis Verbi, ejusque cum Patre consubstantialitatem, ac devictis paulatim aliis erroribus, novum aevum incipit tum dogmatis christiani evolvendi, tum philosophicae speculationis christianam doctrinam explicantis. Hanc philosophiae applicationem paulo varie apud Graecos et apud Latinos Patres factam invenimus.

2° Apud Graecos Platonis quidem philosophia praefertur, sed in ea non nihil Neoplatonismi, ac specialius Origenis placitorum reperire est, ita tamen ut quidquid catholicae orthodoxiae adversaretur, ab omnibus pariter repudiaretur. Praecipui notandi sunt :

a) *S. Athanasius* Alexandrinus, 297—373, incomparabilis fidei defensor contra Arianismum.

b) *S. Basilii Magnus*, Caesareensis Cappadox, 330—379.

c) *S. Gregorius* Nazianzenus, Cappadox, 330—390.

d) *S. Gregorius Nyssenus*, Sⁱ Basilii frater, 331—394.

e) *Synesius* Cyrenensis, 375—415; prius Neoplatonicus, postea Christianus et Episcopus, sed doctrinam non plane orthodoxam semper retinens.

f) *Nemesius*, Emesinus Episcopus in Phoenicia, sicut *Synesius* in aliquibus errat, praesertim circa animae naturam, praeeexistentiam, immortalitatem.

g) *Dionysius pseudo-Areopagita*, omnium maxime Neoplatonismi retinet cum Christianis doctrinis conciliandi; ad mysticas conclusiones pronus, speciatim circa novissima hominis.

3° Apud Latinos Platonis philosophia aestimatur, minus tamen exclusive quam apud Graecos, nec Neoplatonismi tanta sunt vestigia. Praecipui sunt :

a) *S. Hilarius*, Pictaviensis, obiit a. 368, multa et praeclara contra Arianos scripsit. — Animae humanae corpus aliquod tribuit, sed subtile, immateriale; eam tamen creari docet, non generari cum corpore materiali.

b) *S. Ambrosius* Treviris natus 340, Episcopus Mediolanensis obiit 397. Scripturam S^m explicans aliquid Philonis methodi admittit (totus tamen orthodoxus!). — Ejus liber « de officiis ministrorum » primas ethicae philosophiae

christianae lineas circumscribit; — in eo ab ethnicis differt praecipue, quod ethicae fundamentum ponit finem hominis non in hac sed in futura vita obtinendam, ac proinde essentiam omnis moralitatis esse relationem ad hunc finem.

c) *S. Hieronymus* Dalmata, 346—420, interpretum S^{ae} Scripturae princeps, in scriptis suis passim aliqua philosophica habet. Animam humanam dicit immaterialem, sed innuere videtur eam esse forsitan corporatam corpore subtili...; praeeexistentiam aperte rejicit, sed circa modum oriundi animae aliquando fatetur sibi claram nullam esse sententiam, aliquando vero creationem a Deo clare enuntiat.

4° Patristicae philosophiae culmen attingit, ceterorum christianorum omnium doctrinas in synthesim unam redigens, atque in integrum systema evolvens, *S. Aurelius Augustinus*, 353—430, Tagastae in Numidia natus, Episcopus Hippone regio, ingenium sublime, acutum, universam speculationem complectens tum theologiam tum philosophicam. Atque hinc fit ut omnibus in posterum christianis tanquam unus ex summis magistris habeatur. — Summa capita ejus doctrinae ea sunt :

a) *quoad cognitionem humanam*. Cognitionis duplex fons : auctoritas, tempore prior, et ratio, re prior; idque tum generatim, tum praecipue circa veritates revelatas affirmatur. — Cognitioni praesupponitur necessario objectum ejus; quod est vel sensibile, per sensuum experientiam attingendum, vel intelligibile, solo intellectu percipiendum. — Certitudinem vero de utroque ordine objectorum nobis datur habere. — Intelligibilium cognitionem duplici via acquirere possumus : ex sensationibus ordiendo, et ad causas usque superiores ascendendo; — vel in nosipsos redeundo, atque veritatem intra nos habitantem inquirendo (quae altera via priore praestantior est), — hoc autem eo facilius et efficacius efficietur quo erit purius cor et virtutibus ornatus. — Cognitionis nostrae ultimum fundamentum est incommutabilis veritas Divina, in qua tanquam in lumine praelucente contemplamur aeternas et incommutabiles rerum rationes, quae in divina intelligentia continentur; — nec, si magister docet, propter ejus verba credimus veritatem, sed intra nos redeuntes veritatem ipsam contuemur absolutam, — nec, si duo eandem veritatem vident, eam alter in altero vident, sed uterque in ipsa veritate incommutabili, divina; — ex quibus sequitur Deum ipsum esse mentis nostrae summum lumen in quo omnia intuemur, sine quo nihil cognoscere possumus. — Ergo ex ipsa nostrae cognitionis natura in cognitionem Dei ferimur. — [Ista omnia, more et verbis Platonicis dicta, perperam tamen et contra mentem S. Augustini sensu Ontologistarum intelligerentur, neque male ea interpretati sunt postea Scholastici, suis quidem dicendi modis ab Augustinianis valde diversis, de fundamento non logico sed objectivo ontologico omnis entitatis et veritatis : cfr. *Ontolog. prop.* 22, 23, 31, 32; *Theol. Natur. prop.* 10, 12].

b) *quoad Deum*. Deus est ens summum et perfectissimum, aeternum et

immutabile, ratio sufficiens omnis esse, ac proinde ubique praesens; — res omnes novit antequam essent, neque eas cognoscit quia sunt, sed ipsae sunt quia Deus eas noscit; — in intellectu divino sunt omnes ideae prototypae rerum. — Deus est ens absolutum, in se sine omni praedicato, respectu creaturarum autem habet relationes, quae tamen ipsius naturam non mutant.

c) *quoad mundum.* Mundus, utpote complexus entium finitorum et variabilium, evidenter non est a se, ergo est productus; — et cum ab aeterno praeter Deum nihil sit, mundus est productus ex nihilo, seu creatus; — Deus a quo mundus non emanavit sed creatus est, est ens a mundo plane distinctum, neque est anima mundi, nam secus quaevis res mundi esset pars Dei, quod absurdum est. Cum nihil sit supra voluntatem Dei, finis seu motivum cur Deus mundum creavit, in sola ejus voluntatis bonitate manifestanda reponi potest; — cum vero Deus nonnisi bonum producere possit, mala mundi non immediate a Deo, sed a finitudine rerum proveniunt. — Deus creavit omnia simul, tum spiritus tum corporeum mundum, et quidem ita perfecte ordinatum sicut nunc est; sex ergo dies Mosaici non tempore successivi sunt, sed mera systematica expositio creationis secundum perfectionum gradationes.

d) *quoad animam.* Anima est a corpore essentialiter distincta, immaterialis, immortalis, nullam habens quantitatem; — essentialiter individualis, spiritualis, intelligens, specificè determinans corpus humanum, sed ipsa in se angelicis spiritibus specificè similis, qui et ipsi corpora sua habent, humanis subtiliora, unde et immortales sunt, dum homo ob grossius corpus mortalis est: hinc definitio hominis est: animal rationale mortale, angeli: animal rationale immortale, beluae: animal irrationale. — Anima est a Deo creata, sed haeret Augustinus ad quaestionem: quando oriatur? Nam Deus omnia simul creavit, et tamen singulae animae oriuntur simul cum suis corporibus. Item ad quaestionem: quomodo oriatur? Nam spiritualis anima nonnisi creatione a Deo potest oriri, et tamen nisi a parentibus generatione saltem aliquomodo oritur, quomodo poterit peccati originalis transmissio explicari? unde concludit suspendendam esse sententiam. — Anima in corpore una est, totius vitae principium; nec distinguuntur nisi ratione pars inferior vegetativa sensitiva, et pars superior intellectiva spiritualis. — Non agit corpus in animam, nec sentit, sed anima agit in corpus, et sentit per corpus. — Animae spirituales potentiae tres sunt: memoria, intellectus, voluntas; unde cum aliae creaturae sint Trinitatis divinae vestigia, quia unitatem, formam, et ordinem habent, anima est Trinitatis imago.

e) *quoad ethicam.* Duplex distinguenda est libertas: liberum arbitrium electivum, quod homini essentialiter competit; et libertas a malo, aptitudo ad bonum faciendum supernaturale, quam non essentia sua, sed gratia Dei, homo habet, et amittere culpa sua potest. — Liberum arbitrium non tollit infallibilis praesentia divina, nam non ideo homo eligit quia Deus hoc vidit, sed e converso. — Bonum duplex est: delectabile et utile; — bonum

summum debet esse delectabile, inamissibile, hominem summe perficiens; non ergo sensibile quidquam, nec virtus per seipsam, sed aliquid supra hominem, Deus ipse plene visus, perfecte amatus; — ergo nonnisi in futura vita attingendum, in praesenti praeparandum: — estque in hoc sita nostrorum actuum bonitas, ut ad illud bonum tendant, secundum voluntatis divinae legem; — virtus est « animi habitus, naturae modo et rationi consentaneus » seu « ars bene recteque vivendi ». — Prima virtus lexque prima est amor Dei, ex quo fluunt rectus amor sui et amor rectus proximi. — Malum non reale quid, sed privatio boni est, naturae contraria; cujus fundamentum remotum est creaturae finitudo et mutabilitas, proximum vero est voluntatis libertas. — Malum est vel morale: peccatum; vel physicum: poena peccati, nempe privatio beatitudinis summae, partialis in praesenti, totalis in futura vita. — Est igitur omnis bona actio accessus ad Deum, omnis vero mala recessus a Deo et accessus ad nihilum, habetque causam non tam efficientem quam deficientem.

5° Post S. Augustini tempus, imperium romanum invadentibus undique et perturbantibus Barbaris, pauci in rebus philosophicis eminuerunt, v. c:

a) *Claudianus Mamertus* Viennae presbyter circa medium saeculum quintum immaterialitatem animae defendit.

b) *Boethius* senator romanus, 470—525, Athenis philosophiae studuit, Romae sub Theodorico Gothorum rege scripsit versionem et expositionem librorum logicorum Aristotelis, commentarium in Victorini versionem « *Isagoges* » Porphyrii; maxime cooperatus ad graecae philosophiae cognitionem primis medii aevi saeculis conservandam. Ab inimicis accusatus, diu in carcere retentus, ibi scripsit librum « de consolatione philosophiae » ubi egregia de Deo et Providentia; obiit occisus.

c) *Cassiodorus*, 468—575, senator romanus, postea monachus, scripsit trivium: de grammatica, dialectica et rhetorica; et quadrivium: de arithmetica, geometria, musica, astronomia; alium librum « de artibus ac disciplinis artium liberalium »; alium « de anima. »

§ 3. POST SAECULUM SEXTUM.

1° Ea aetate videntur philosophi animum abjecisse, dum omnia turbata erant. — Circa finem imperii Longobardici, floruerunt *Petrus Pisanus*, et *Paulus Warnefried*.

2° Saeculo septimo sub Gothorum imperio in Hispania floruit *S. Isidorus Hispalensis*, dictus *Doctor Egregius*, † 636, auctor celeberrimi operis encyclopaedici cui nomen: « *etymologiarum sive originum libri viginti.* » Continet hic liber compendium omnium scientiarum illius temporis, et innumera excerpta veterum, quorum opera nunc perierunt; scripsit et libros « de ordine creaturarum » et « de natura rerum. »

3° Initio saeculi octavi in Anglia et Hibernia floruit *Venerabilis Beda*, qui

de scientiis et artibus adeo bene meritus est, ut ipsi protestantes eum « sidus primae magnitudinis » appellent.

4° In oriente, circa idem tempus floruit *Joannes Philoponus*, 500—570; sed multo magis *S. Joannes Damascenus*, circa 700, monachus, qui omnes coevos suos eruditione et subtili philosophandi genere longe superavit. Scripsit opus: « fons cognitionis » in quo breviter Aristoteleam ontologiam primum exponit, dein ex ea haereses refutat, ac tandem sub titulo: « de fide orthodoxa » totam catholicae fidei doctrinam lucido ac methodico ordine explicat; vultque ad eam philosophia tamquam « theologiae ancilla » uti. Ejus opera in Oriente etiamnum maxima auctoritate gaudent, in Occidente magnum in Scholasticos auctores influxum exercuerunt; unde non immerito *Pater Metaphysices*, ac praesertim ontologiae, et auctor theologiae scholasticae dicitur.

5° Exeunte saeculo octavo duo tentamina philosophica initium acceperunt, alterum in Gallia, alterum in Arabia; de quibus mox infra.

CAPUT II.

A CAROLO MAGNO USQUE AD LUTHERUM.

Toto hoc tempore, cui medium aevum vulgo nomen est, ille praecipuus et tamquam proprius character apparet, quod videlicet incultae novae gentes, fortibus moribus praeditae, ad fortia et sublimia quaeque quasi sponte praeparatae, cum primum christianae religionis mysteriis initiatae fuerunt, illis sincere et totis viribus adhaeserunt, illis se suaque omnia tum privata tum publica, tum speculativa tum practica, imbuenda ac penetranda praebuerunt. Hinc etiam scientificam speculationem ac philosophica studia imprimis ad theologicas quaestiones elaborandas, evolvendas, intelligendas, converterunt, philosophiam ipsam aestimaverunt esse ancillam theologiae seu medium ad dogmatum revelatorum explicationem inquirendam. Quod nulla alia melius atque expeditius via fieri posse cum sentirent, quam Aristotelica dialectica, aliisque Aristotelis plerumque, Platonis saepe, doctrinis suppositis; eas universi amplexi sunt scholarum magistri.

In tres periodos passim dividi solet illud aevum, quarum prima sit scholasticae philosophiae praeparatio atque generatio, altera ejusdem evolutio et perfectio, tertia ejus occasus, et ad recentiore philosophiam transitio. Sint ergo:

Articulus 1. Ante saeculum XIII.

Articulus 2. Saeculis XIII et medio XIV.

Articulus 3. A saeculo medio XIV ad medium XVI.

ARTICULUS 1.

Ante saeculum XIII.

Praeter philosophiae Christianae Occidentalis historiam, omittenda non est philosophia Orientalis extra Christianismum illo tempore existens.

- § 1. Initia philosophiae Scholasticae.
- § 2. Philosophia Graecorum et Syrorum.
- § 3. Philosophia Arabum.
- § 4. Philosophia Judaeorum.

§ 1. INITIA PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE.

1° Circa medium saeculum octavum, dum scientiarum studia fere ubique collapsa in Europa jacebant, *Carolus Magnus* exemplo et insigni favore quo *Petrum Pisanum*, *Albinum*, *Alcuinum* Anglum, aliosque scientiarum cultores, ad se accersitos prosequatur, omnimodum earum interitum nonnihil impedivit. Quarum ut et progressum magis promoveret, plures scholas instituit, quarum pleraeque successu temporis vel in Universitates conversae, vel saltem Universitatum exemplaria fuerunt. — *Alcuinus*, 735—804, scholae palatinae praepositus, postea Turombus abbas factus, ibidem quoque scholam fundavit famosam. Varia scripsit, vir de litteris et scientiis optime meritus. — *Rhabanus Maurus*, 776—856, abbas Fuldensis, postea episcopus Moguntinus, scholam Fuldensem, primam totius Germaniae fundavit; opus encyclopaedicum 22 libris « de universo » scripsit. — *Paschasius Radbertus*, abbas Corbiensis, † 851, opere « de fide, spe, et caritate » res christianas dilucide pertractat. — Ast quamvis in his omnibus scholis vix aliud praeter grammaticam, arithmetica, cantum, et dialecticam doceretur, ut haec discerent laici nobiles hujus temporis aegre adduci potuerunt: obstabant nimirum mores et praepudicatae opiniones, penuria librorum et scriptorum; neglectus quoque linguae graecae et exemplarium graecorum mox multum retardavit philosophiae progressus. Notum omnibus est, in solis monasteriis conservatas fuisse scientias, et litteras, atque antiquitatis librorum quidquid nobis superest.

2° *Joannes Scotus Erigena*, initio saeculi IX in Hibernia (quae Magna Scotia dicebatur) natus, sub Carolo Calvo scholae palatinae Lutetiae praepositus, postea in recenti universitate Oxoniae sub Alfredo Magno docuit. Is primus systema philosophicum illis temporibus exstruxit libro « de divisione naturae » sed erroribus plenum et famosum, ac postea merito damnatum; cujus haec fere summa est:

- a) Cognitionis humanae principium est fides, veritates libris sacris contentae, et ratiocinatione explicandae; ergo religio et philosophia idem sunt.
- b) Quadruplex est natura: prima quae creat et non creatur, secunda quae

de scientiis et artibus adeo bene meritus est, ut ipsi protestantes eum « sidus primae magnitudinis » appellent.

4° In oriente, circa idem tempus floruit *Joannes Philoponus*, 500—570; sed multo magis *S. Joannes Damascenus*, circa 700, monachus, qui omnes coevos suos eruditione et subtili philosophandi genere longe superavit. Scripsit opus: « fons cognitionis » in quo breviter Aristoteleam ontologiam primum exponit, dein ex ea haereses refutat, ac tandem sub titulo: « de fide orthodoxa » totam catholicae fidei doctrinam lucido ac methodico ordine explicat; vultque ad eam philosophia tamquam « theologiae ancilla » uti. Ejus opera in Oriente etiamnum maxima auctoritate gaudent, in Occidente magnum in Scholasticos auctores influxum exercuerunt; unde non immerito *Pater Metaphysices*, ac praesertim ontologiae, et auctor theologiae scholasticae dicitur.

5° Exeunte saeculo octavo duo tentamina philosophica initium acceperunt, alterum in Gallia, alterum in Arabia; de quibus mox infra.

CAPUT II.

A CAROLO MAGNO USQUE AD LUTHERUM.

Toto hoc tempore, cui medium aevum vulgo nomen est, ille praecipuus et tamquam proprius character apparet, quod videlicet incultae novae gentes, fortibus moribus praeditae, ad fortia et sublimia quaeque quasi sponte praeparatae, cum primum christianae religionis mysteriis initiatae fuerunt, illis sincere et totis viribus adhaeserunt, illis se suaque omnia tum privata tum publica, tum speculativa tum practica, imbuenda ac penetranda praebuerunt. Hinc etiam scientificam speculationem ac philosophica studia imprimis ad theologicas quaestiones elaborandas, evolvendas, intelligendas, converterunt, philosophiam ipsam aestimaverunt esse ancillam theologiae seu medium ad dogmatum revelatorum explicationem inquirendam. Quod nulla alia melius atque expeditius via fieri posse cum sentirent, quam Aristotelica dialectica, aliisque Aristotelis plerumque, Platonis saepe, doctrinis suppositis; eas universi amplexi sunt scholarum magistri.

In tres periodos passim dividi solet illud aevum, quarum prima sit scholasticae philosophiae praeparatio atque generatio, altera ejusdem evolutio et perfectio, tertia ejus occasus, et ad recentiore philosophiam transitio. Sint ergo:

Articulus 1. Ante saeculum XIII.

Articulus 2. Saeculis XIII et medio XIV.

Articulus 3. A saeculo medio XIV ad medium XVI.

ARTICULUS 1.

Ante saeculum XIII.

Praeter philosophiae Christianae Occidentalis historiam, omittenda non est philosophia Orientalis extra Christianismum illo tempore existens.

- § 1. Initia philosophiae Scholasticae.
- § 2. Philosophia Graecorum et Syrorum.
- § 3. Philosophia Arabum.
- § 4. Philosophia Judaeorum.

§ 1. INITIA PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE.

1° Circa medium saeculum octavum, dum scientiarum studia fere ubique collapsa in Europa jacebant, *Carolus Magnus* exemplo et insigni favore quo *Petrum Pisanum*, *Albinum*, *Alcuinum* Anglum, aliosque scientiarum cultores, ad se accersitos prosequatur, omnimodum earum interitum nonnihil impedivit. Quarum ut et progressum magis promoveret, plures scholas instituit, quarum pleraeque successu temporis vel in Universitates conversae, vel saltem Universitatum exemplaria fuerunt. — *Alcuinus*, 735—804, scholae palatinae praepositus, postea Turonus abbas factus, ibidem quoque scholam fundavit famosam. Varia scripsit, vir de litteris et scientiis optime meritus. — *Rhabanus Maurus*, 776—856, abbas Fuldensis, postea episcopus Moguntinus, scholam Fuldensem, primam totius Germaniae fundavit; opus encyclopaedicum 22 libris « de universo » scripsit. — *Paschasius Radbertus*, abbas Corbiensis, † 851, opere « de fide, spe, et caritate » res christianas dilucide pertractat. — Ast quamvis in his omnibus scholis vix aliud praeter grammaticam, arithmetica, cantum, et dialecticam doceretur, ut haec discerent laici nobiles hujus temporis aegre adduci potuerunt: obstabant nimirum mores et praepudicatae opiniones, penuria librorum et scriptorum; neglectus quoque linguae graecae et exemplarium graecorum mox multum retardavit philosophiae progressus. Notum omnibus est, in solis monasteriis conservatas fuisse scientias, et litteras, atque antiquitatis librorum quidquid nobis superest.

2° *Joannes Scotus Erigena*, initio saeculi IX in Hibernia (quae Magna Scotia dicebatur) natus, sub Carolo Calvo scholae palatinae Lutetiae praepositus, postea in recenti universitate Oxoniae sub Alfredo Magno docuit. Is primus systema philosophicum illis temporibus exstruxit libro « de divisione naturae » sed erroribus plenum et famosum, ac postea merito damnatum; cujus haec fere summa est:

- a) Cognitionis humanae principium est fides, veritates libris sacris contentae, et ratiocinatione explicandae; ergo religio et philosophia idem sunt.
- b) Quadruplex est natura: prima quae creat et non creatur, secunda quae

creatur et creat, tertia quae creatur et non creat, quarta quae nec creat nec creatur. Scilicet :

c) Prima natura est Deus, quae est in se, omnino indifferens, nihilum, intelligibilis. — Duplex est theologia : affirmativa et negativa. Haec est potior quatenus Deus melius per ignorantiam quam per scientiam cognoscitur; in eo enim omnia similia et dissimilia, opposita et contraria in unam harmoniam conveniunt.

d) Secunda natura est mundus idealis, i. e. ideae, formae rerum, antequam res sint creatae. Hae sunt rerum non solum causae exemplares, sed etiam causae primordiales; quas Pater fecerat in Filio suo; — illae formae sunt in Verbo Dei sine distinctione, et ab aeterno creatae, et ex nihilo, i. e. ex essentia divina.

e) Tertia natura est mundus sensibilis qui procedit ex causis suis primordialibus. Ista nempe in suos effectus distribuuntur, i. e. in genera et species, numeros differentiasque; — omnibus illis speciebus et differentiis unum esse subest, generalissima quaedam natura, communis omnium, ab uno et ex uno principio creata.

Unde autem sit individuatio, explicat ex essentia corporeitatis. Haec autem, seu materia, ex incorporalibus qualitatibus copulatur; cui materiae, adhuc informae, accedunt aliae incorporeae formae, et inde habentur individua corpora. — Unde corpus nihil est nisi cumulus accidentium insensibilium; subest autem natura tamquam substratum immobile.

Quae sit habitudo tertiae naturae cum secunda, explicat : nullam esse diversitatem quoad essentiam, sed solum quoad statum; ea enim quae sunt in aeternitate Verbi Dei, aliter sunt in temporalitate mundi constituta. Nec proinde effectus mundus realiter distinguitur a Deo.

f) Quarta natura est Deus in regressu rerum. Deus enim, ut est primum principium omnium quae in eo condita sunt, ita est et ultimus finis in quem omnia tendunt in quo quiescant et absorbeantur. — Admittit tamen poenas aeternas pro mala voluntate, scilicet privationem eorum omnium temporalium quae inordinate amavit.

Ex Neoplatonismo igitur multa hausit Erigena, Christianismo attemperare conatur, sed infelici ausu, in Pantheismum labitur. — Ejus scripta etiam post ejus mortem late vulgata fuerunt, et multum contulerunt ad excitandum *mysticismum dogmaticum* qui sequentibus saeculis vixit...

3^o Saeculo X nullae fere litterariae vel scientificae lucubrationes inveniuntur, maxime ob commotiones politicas. — Unus prodiit memoratu dignus *Gerbertus*, Aureliacensis, monachus, postea episcopus, tandem summus pontifex sub nomine *Silvester II*, † 1003, in mathesi et philosophia Aristotelica versatissimus. — Alii minoris notae magistri scholas passim, in monasteriis praesertim fundabant et dirigebant.

4^o Saeculo XI dialecticam, ultra modum, etiam revelationi praeponens *Berengarius*, 999—1088, Turonensis, in haeresim circa dogma Eucharistiae

lapsus est. Hic formam dialecticam in disputationibus primus induxit. — Hujus adversarius praecipuus fuit *Lanfrancus*, Paviensis, 1005—1089, scholasticus (i. e. professor) in monasterio Beccensi, postea archiepiscopus Cantuariensis. — Ejus praeclarior discipulus et successor tum in abbatis dignitate tum in archiepiscopatu, *S. Anselmus*, 1033—1109, Augustae Praetoriae (Aoste) natus, coevos suos ingenii sagacitate et scriptorum numero longe superavit; primusque in Occidente systematice ordinatam doctrinae christianae expositionem et explicationem tentavit; unde primus scholasticorum dicitur. Ex *S. Augustino* sublimia de rerum incommutabili veritate in Deo depromens, sed ultra modum, ad Ontologismum nonnihil inclinans, famosi argumenti ontologici existentiae divinae auctor fuit (cfr. Theol. natur. prop. 15), cui multum in reliquis explicandis innititur.

5^o Saeculo isto XI fluente, exorta paulatim est philosophia et theologia *scholastica* (ita dicta ex titulo «scholastici» qui scientiarum professori apud benedictinos tribuebatur). — In philosophia scholastica tria sunt distinguenda : doctrina, methodus, et norma : — a) *doctrina* passim eas continet sententias quae a Soerate, Platone, Aristotele traditae, a S^{is} Patribus exploratae et probatae fuerant; — b) *methodus* sequitur Graecos, praesertim Aristotelem. Si Patres enim, etsi dialectica Socratica vel Aristotelica utebantur ad explicandam defendendamque fidem, non eo fruebantur otio ut quaestiones philosophicas in unum scientiae corpus ordinarent; scholastici autem ut id assequerentur usi sunt methodo praecipue analytica, et ea disputandi ratione dialectica, qua propositio prius declarata, rejectis deinde momentis partis adversae, propriis argumentis demonstratur; — c) *norma* philosophicae inquisitionis scholasticae est unitas veritatis, scilicet veritatem nunquam posse veritati contradicere; unde fiat ut si qua veritas superioris ordinis valide sit stabilita, huic nihil aliud contradictorium admitti possit. Scilicet veritati analyticae contrariam dari non posse experientiam; nec veritati revelatae ullam conclusionem rationalem; nam veritatem a Deo revelatam et ab infallibili Ecclesia propositam, ante omnia defendi, nunquam negari vel corrumpi debere. Ordinem tamen supernaturalem et naturalem minime confundebant, neque lumen rationis deprimebant, sed rationi fallibili beneficium luminis infallibilis, principii extrinseci, addebant. — Nec tamen omnes scholastici in tribus illis elementis sibi semper perfecte constiterunt. — Atque haec est philosophia in quam protestantes, janseniani, recentiores nostri fere omnes insurrexerunt, quam vanis declamationibus insecuti sunt, viri nempe stricti argumenti vim timentes et declinantes, neque eos cognoscentes quos ignorantiae ac barbariei incusabant. Diffiteri quidem nolumus aliquos Scholasticos, stylo nonnihil horrido et barbaro usos fuisse, et inutilibus justoque subtilioribus quaestionibus tempus trivisse, ingenia aliquantulum corrupisse et meliorem scientiarum progressum retardavisse; ast nihilominus certissimum est, generatim loquendo, Scholasticam non solum religioni sed etiam scientiis maximum praestitisse auxilium; et methodum

ipsam sobrie adhibitam scientificis inquisitionibus, veritatis demonstrationi, errorumque confutationi utilissimam esse; quae et plurimum ingenia exercuit, et utiles opiniones dilucidavit, et metaphysices scientiam ditavit, ac proinde progressui viam pandit.

6° Circa finem ejusdem saeculi XI acris et diuturna illa notissima pugna exorta inter *Nominales et Reales*. Scripserat nimirum Porphyrius in sua Isagoge, quam Boethius latinam faciens Occidentalibus communicaverat, verba haec: «De generibus et speciebus illud quidem sive subsistant, sive » in solis nudis intellectibus posita sint, sive subsistentia corporalia sint, an » incorporalia, et utrum separata a sensibilibus, an in sensibilibus posita » et circa haec consistentia sint, dicere recusabo; altissimum enim negotium est hujusmodi et majoris egens inquisitionis.» De hac quaestione circa objectivatem conceptuum universalium, jam antiquitus solutionem tentaverant Plato aliique, veriore docuerat Aristoteles; ast ex suspensio Porphyrii loquendi modo controversia nasci debebat apud Scholasticos, de re nempe in philosophia summi momenti, ex cujus recta vel prava solutione totam scientiam humanam dependere sentiebant (cfr. Logic. prop. 38—45).

a) *Roscellinus*, in Armorica natus, Compendiensi canonicus, nominalismum purum docuit circa 1089, universalia esse «meros flatus vocis;» exinde dogma Trinitatis haeretice deformavit. — Adversus hunc multum scripsit S. Anselmus de quo supra.

b) *Guillelmus Campellensis*, ex Bria oriundus, 1070—1121, Roscellini discipulus, contra magistrum suum realismum exaggeratum docuit.

c) *Petrus Abaelardus*, Nannetensis, 1079—1142, Guillelmi discipulus infelix et famosus, mediam viam tenere volens, Conceptualismum, nominalismum mitigatum, docuit. — Adversus hunc S. Bernardus multum verbo et scripto decertavit.

d) Eos secuti sunt illo saeculo plures, quorum notiores aliqui, v. c. *Gilbertus Porretanus*, episcopus Pictaviensis, † 1159; — *Amalricus Carnutensis*, Parisiis docens; — hujusque discipulus et successor, *David Dinantensis*; — qui varios errores ex Scoto Erigena suos fecerunt.

7° Contra abusus dialecticae eo tempore opposuerunt se:

a) *Hugo a S^o Victore*, mysticus, ejusque discipulus *Richardus*, veritates abstractas respuentes, omnia revocabant ad amorem et caritatem (cfr. infra).

b) *Petrus Lombardus*, Novarensis, episcopus Parisiensis, † 1164, Abaelardum magistrum habuit, et notissimus est suo libro: «Theologiae christianae sententiarum libri IV,» unde *Magister Sententiarum* dictus est. In hoc libro refert opiniones Patrum circa quaestiones tunc controversas, atque ita ingenia ad studia magis positiva revocavit.

c) *Alanus Insulensis*, Flander, monachus Cisterciensis, postea episcopus Antisiodorensis, *Doctor Universalis*, † 1202, defensionem catholicorum dogmatum philosophicis potissimum argumentis exponendam suscepit, adversus Mahumetanos tunc grassantes, Judaeos, et haereticos.

d) *Joannes Salisburgensis*, 1110—1180, Anglus, sed episcopus Carnutensis, dialecticis vitio vertit quod scientiam in meris vocabulis constituent, ejusque applicationem ad res practicas et utiles negligent. Scripsit varia opera de physica, de morali, de re politica; pretiosa quoque monumenta historiae philosophiae scholasticorum suppeditavit.

§ 2. PHILOSOPHIA GRAECORUM ET SYRORUM.

1° Apud Graecos, post S^m Joannem Damascenum pauci philosophi, nempe aliqui peripatetici, inveniuntur; quorum notiores sunt:

a) *Photius*, patriarcha Constantinopolitanus, vir eruditus, schismatis auctor.

b) *Michael Psellus*, natus 1020, plura philosophica opera et commentarios reliquit, tum de ceteris tum praesertim de logica; — auctor versiculorum memorialium:

γράμματα ἔγραψε γραφίδι τεχνικός.
γράμμασιν ἔταξε χάρισι παρθένος ἱερόν.
ἔγραψε κάτεχε μέτριον ἄχολον,
ἅπασι σθεναρός, ἰσάνικς ἀσπίδι ὀμαλός, φέριστος.

Quales postea latini: barbara, celarent, darii, etc... at solae litterae vocales, non vero consonantes, significant.

c) Et post illos, saeculis XIII, XIV, alii aliqui commentarios et summulas in logicam confecerunt.

2° In Syria, post Nestorianae scholae Edessenae suppressionem sub Zenone Imperatore, plures in Persidem transmigrantes, scholas Nisibe et Gandisaporae fundaverunt; Platonis enim et Aristotelis philosophiae multum favebat Chosroes rex. Haec ultima schola etiam medicinae valde erat dedita, ex eaque postea prodierunt magistri qui Arabes medicinam et philosophiam docuerunt.

3° Apud Syros interea Monophysitae, Jacobitae, in Aristotelis studium ardentibus incubuerunt, praesertim in Scholis duarum urbium Resinae et Kinnesrinae.

§ 3. PHILOSOPHIA ARABUM.

Postquam late jam propagatum ac stabilitum fuit Arabum, Mahumeti sectatorum, regnum, tandem sub Kalifis, etiam litterarum et scientiarum aliqua cultura coepit oriri; atque philosophiae Neoplatonicae, sed mox fere unice Aristotelicae germina inter Arabes sparsa sunt, una cum medicina, a Christianis Syris et Graecis. — Primae scholae publicae fundatae fuerunt Bagdae et Bassorae in Syria, et paulo post etiam Cordubae in Hispania. — Aristotelis omnia opera versa fuerunt in linguam arabicam, quorum commentatores celebriores, philosophiaeque doctores praecipui fuerunt,

1° In Oriente:

a) *Alkendi*, Basrae ad mare persicum natus, † 870, in omnibus suis in verba Aristotelis jurans, nihil aliud ei addidit praeter sparsas quasdam notiones ex variis scientiarum generibus, nullo ordine nec iudicio, nullumque verum systema conficiens, ad rationalismum inclinans, minus orthodoxus a Mahumetanis habitus.

b) *Alfarabi*, Balahae in provincia Farab natus, † 950, Bagdae studuit ac postea docuit, deinde Aleppi et Damasci. Institit vestigiis Alkendi in admirando et commentando Aristotele, sed magis sapit Neoplatonismum.

c) *Avicenna*, 980—1037, natus in Afsenna, provinciae Bokhara, studuit Bagdae, aetatis anno 21 jam opera scientiae plena conscripsit, docuit in Ispahan, vir vino deliciisque valde deditus. Ejus famosus fuit liber: «canon medicinae,» qui per plura saecula maximae auctoritatis habitus est. In libris de logica, de physica, et de metaphysica, retinet et evolvit doctrinam Alfarabi: de universalibus recte disputat, item de constitutione corporum et hominis; de origine idearum recte, praeterquam quod intellectum agentem docet esse unum identicum pro omnibus hominibus, extra eos existentem; mundi materiam cum Aristotele dicit esse aeternam, creationem ex nihilo non agnoscit. De Deo cum Neoplatonicis errat.

d) *Algazel*, 1059—1111, natus Ghazzalah, provinciae Khorasan, docuit Bagdae, postea vixit in Syria Sufismi sectator. — In fide Mahumetanae theologiae orthodoxae sectator acerrimus, in philosophia scepticus. Libros scripsit, quorum uno placita et systemata philosophorum pulchre exponit, altero eadem sceptica crisi refutat, tertio suam sententiam positivam proponit. Hujus scriptorum effectus fuit fere interitus philosophiae in Oriente, ubi exinde jam nullus notandus occurrit doctor.

2° In Occidente :

a) *Avempace*, Caesarangustanus, † 1138, medicus, mathematicus, astronomus, poeta, philosophus; vixit Hispali, Granatae, et in Africa, Kalifis Morabithis amicus. Plura scripsit nobis ut plurimum perdita. In libro «de regimine solitarii» animam ducit per gradus, ab inferiori animali instinctu, ad jugiter majorem libertatem ab omni materialitate et potentialitate, ad contemplationem formarum separatarum, in qua perfectam beatitudinem reponit.

b) *Abubacer* (seu Ibn Tophail), Gaditanus, 1100—1185, medicus, philosophus, poeta; obiit Marocci. Libro: «philosophus autodidactus» easdem sententias fere exponit atque Avempace de regimine solitarii, sed multo ulterius rem producens et evolvens, sub fictione historiae hominis qui sine ulla educatione, in insula deserta seipsum perficit, atque ad totam veritatem alcorani, sed figuris exutam, mystice contemplandam pervenit.

c) *Averrhoes*, Cordubensis, 1126—1198, patri in religiosis dignitatibus et politicis muneribus successit, postea Hispali; Califis variis vir gratus; tandem irreligionis accusatus, muneribus privatus, in Africam maroccanam migravit ibique vixit. — Philosophica multa scripsit, dictus est per excel-

lentiam *Commentator*. Potest ejus doctrina vocari eclecticismus desumptus ex peripatetismo et mysticismo neoplatonicorum Alexandrinorum, ita tamen ut peripatetismus ac praesertim logica aristotelica sit ejus basis. Refutavit quoque libros Algazeli scepticos. In ethicis maxime circa originem mali et concordiam attributorum Dei cum libertate humana versatur. — Errat maxime ubi intellectum humanum, tum agentem tum passibilem, docet esse unum identicum pro omnibus hominibus, immortalem, separatum ab anima humana quae jam immortalis non sit, quaeque ad cognitionem intellectualem non aliter concurrat quam eo quod sit subjectum passivum cui intellectus se communicet, in quo cognitionem efficiat; quae proinde ab anima beluina non essentialiter sed gradu tantum differat. — Errat etiam cum Aristotele Deo abnegans cognitionem et providentiam rerum minimarum mundanarum.

3° Generalis igitur philosophiae Arabum character fuit studium dialecticae, abstractionum methodicarum, et observationes naturae. Vix ulli apud eos conceptus novi, audaces, sublimes; paucissimae quoque quaestiones solvendae proponuntur; nihil fere nisi commentationes et solutiones jam datas et determinatas invenire est.

§ 4. PHILOSOPHIA JUDAEORUM.

1° Inter Judaeos late sparsa vigeat Cabbala, de qua cfr. supra. — Tempore dominationis Arabicae in Hispania, *Avicbron*, Malagensis, 1020—1070, primus Judaeorum novum aliquem progressum philosophicum ex Arabum scholis hausit, mixta nempe philosophemata ex Judaicis dogmatibus, Aristotelismo et Neoplatonismo. — Notissima est ejus sententia, omnes res mundanas, tum corporeas tum spirituales, esse ex materia et forma compositas, quia non aeternas, ac proinde ex potentia et actu constantes. — Creationem explicat per animae mundi emanationem ex Deo. — Plotini quidem opera non noverat, sed recentiorum Neoplatonicorum opera multa arabice versa legerat. — Apud reliquos Judaeos non multum influxum habuit Avicbron, bene vero apud Christianos fuit notus ac saepe citatus, praesertim apud Scotistas.

2° *Moses Maimonides* Cordubensis, 1135—1204, religiosas persecutiones fugiens, in Fez, deinde in Palaestina, tandem in Aegypto vixit. Is integrum Aristotelismum inter Judaeos vulgavit; qua in re eo maxime juvabatur quod propter sententias suas persecutionibus suorum congenerum notior factus est et plura loca peragrarere coactus. Irarum causa erat ejus oppositio Cabalisticis interpretationibus, ejusque interpretandi canon: scripturas esse quidem ad litteram intelligendas, nisi tamen evidens veritas rationalis opposita nos cogat ad interpretationem allegoricam acceptandam. Alias autem revelatas veritates, quarum nec realitatem nec impossibilitatem ratio ostendere potest, admittendas esse docet, v. c. creationem temporalem, providentiam divinam, una tamen cum libertate humana...

3° Alii tunc plures Judaei fuerunt noti, sed qui meras versiones operum Aristotelicorum, vel etiam commentarios aliquos ederent.

ARTICULUS 2.

Saeculis XIII et medio XIV.

Arabes scientias et litteras quas a Christianis Orientalibus, Graecis et Syris, hauserant, Occidentalibus postmodum restituisse videntur. Nam saeculis X, XI et XII multi Judaei et Christiani ex Gallia, Italia, Anglia et Germania, Arabum scholas, praesertim Cordubensem, frequentare coeperunt, ac doctrinam potissimum Averrhois Aristotelicam acceperunt; unde ex eo tempore Aristotelis opera fere omnia in scholas Christianas introducta sunt, versa in barbaram latinitatem, et quidem rarissime ex fonte originali, plerumque vero ex translatione syriaca et arabica. Multum hac in re juvabant Judaei; aliquo quidem discrimine, quod Christiani videlicet potius metaphysicae, logicae, litteris operam navabant, Judaei multo magis medicinae et physicae. — Praeterea versa in latinam linguam et late vulgata fuerunt opera Alfarabi, Avicennae, Algazeli, et imprimis Avicbron, et Averrhois, qui omnes, una cum Maimonide multum ad christianorum studia evolvenda contulerunt.

Atque haec quidem progressio scientiarum jam saeculo XI initium coepit per communicationem Occidentalium cum Oriente, sed ingens incrementum saeculo XII ab expeditionibus sacris in Palaestinam accepit. — Neque parum ad illam contulit aemulatio exorsa inter varia monasteria, quorum singula studiis, scientiis, et disciplina scholarum numeroque discipulorum excellere contendebant. Hinc jus canonicum institui coepit, ac studio ethicae data est opera. — Verum polemica praecipuas partes philosophiae diu occupavit, et philosophorum animos quasi absorbit.

Tota ista periodo duas inter Christianos non tam scholas quam expositionis methodos potius discernere possumus ac dividere. Sit ergo :

§ 1. Philosophi Scholastici.

§ 2. Philosophi Mystici.

§ 1. PHILOSOPHI SCHOLASTICI.

Periodus ista maximae evolutionis et perfectionis philosophiae ac theologiae scholasticae fuit. Introducta jam et amplius perspecta doctrina universa Aristotelis, simul cum multis ac magnis Arabum Judaeorumque commentariis, omnium pene animos ad se convertit. Sed quum apud illos commentatores, tum ex malo intellectu Aristotelici textus, tum ex Mahumetanis praejudiciis, tum ex rationalisticis aliquorum tendentiis, non pauci errores invenirentur contra Christiana dogmata, ac pericula pro fide, hinc factum est ut, sub nomine philosophiae Aristotelicae, variae propositiones, ex Averrhoae praesertim excerptae, in synodis damnarentur, v. c. de unitate intellectus pro omnibus hominibus, de aeternitate mundi, de mortalitate animae humanae, de defectu cognitionis et providentiae divinae, de contra-

dictione possibili inter veram philosophiam et veram theologiam, etc. Fuerunt item prohibita Aristotelis opera metaphysica et physica donec corrigerentur (1210, 1215, 1231, 1269). — Nihilominus omnes tunc doctores Christiani Occidentales, sicut in Theologia libros Petri Lombardi, ita in philosophia libros Aristotelis, duces sequebantur atque Commentariis ornaverunt. Mox quoque totam scientiarum illarum complexionem in unam harmonice systematicam synthesim conflare conati sunt : propriis nimirum summis theologicis.

1° *Alexander Halensis*, Anglus ex comitatu Glocesteriensi, dictus *Doctor Irrefragabilis* et *Theologorum Monarcha*, Franciscanus, docuit Parisiis, † 1245. Is primus universam Aristotelis philosophiam, multosque Arabum commentarios novit et ad Theologiam explicandam adhibuit. Jubente P. P. Innocentio IV summam universae theologiae confecit valde aestimatam.

2° *Guillelmus Arvernus*, Aureliacensis, episcopus Parisiensis, † 1249, libris «de universo» et «de anima» Arabum errores omnes acute persequitur et refutat. Praeter Aristotelicam doctrinam aliquas proprias habet sententias.

3° *Vincentius Bellovacensis*, Dominicanus, Sⁱ Ludovici filiorum magister, † 1264, in suo «speculo doctrinali, naturali et historiali» universam encyclopaedicam cognitionem humanam compilare tentavit, unde *Speculator* dictus est.

4° *Robertus Capito (Grosseteste)*, Anglus ex comitatu Suffolkiensi, studuit Oxoniae et Parisiis, postea episcopus Lincolnensis, † 1253, Papae vehemens adversarius. Commentarios in Aristotelem et in mysticam theologiam Areopagitae scripsit.

5° *B. Albertus Magnus*, Lauingianus Sueviae, 1193—1280, *Doctor Universalis*, Dominicanus, non minus ingenii tum vastitate tum subtilitate, quam indefessa diligentia insignis. Parisiis, Coloniae et alibi philosophiam ac theologiam publice docuit; legatus apostolicus in Polonia, postea Magister Saeri Palatii, episcopus Ratisbonensis; tandem omnibus cessit, ad cellulamque Coloniensem reversus, studiis ardentius incumbens, libris conscribendis deditus ad mortem usque fuit. — Is primus Christianorum in universos Aristotelis libros conscripsit proprios commentarios. Insuper theologiae expositionem ope Aristotelicae philosophiae composuit; aliosque libros variis de scientiis edidit. Motum scientificum ac philosophicum mirifice promovit, idque non modo quoad philosophiam proprie acceptam, et theologiam, sed etiam quoad scientias physicas et naturales, experientiam et observationem phaenomenorum commendans et ipse prosequens; primus inter Christianos historiam naturalem animalium, plantarum et mineralium ex integro atque scientificè tradere aggressus; quinimo et physiognomiae ac phrenologiae principia rationalia, sine stolidis nostri saeculi excessibus, constituit.

6° *S. Thomas Aquinas*, Neapolitanus, 1226—1274, *Doctor Angelicus*, Dominicanus, omnium Scholasticorum maximus solida doctrina, scientifica me-

thodo, et rerum ecclesiasticarum eruditione; Bⁱ Alberti M. discipulus, deinde docuit philosophiam et theologiam Coloniae, Parisiis, Bononiae, Neapoli, et alibi. — Ejus sententias exponere hic loci non opus est; eum enim in praecedentibus libris ut plurimum, et semper in rebus praecipuis, secuti sumus. Breviter haec notare sufficiat: a) Ipse scientias naturales et physicas parum coluit, methodum tamen experimentalem et agnovit esse necessariam in iis, et commendavit; unde quoad eas Aristotelem sequitur in his quae fidei non opponuntur. b) Circa philosophiam ipsam Aristoteli quidem adhaeret quoad methodum; at vero quoad doctrinas, ejus philosophia est potius eclecticica, ex philosophis omnibus, sive ethnicis sive christianis, desumens pro argumentorum natura et conditione, simul et addens plurima ex proprio ingenio; itaque fit ut dominantur tamen philosophiae Aristotelis, Platonis, et Sⁱ Augustini.

7° *Henricus Gandavensis*, Flander, 1217—1293, *Doctor Solemnis*, Bⁱ Alberti M. discipulus, docuit Gandae et Parisiis. In paucis a S^o Thoma differt: circa materiae primae notionem, Divinam cognitionem rerum individuarum, nostram cognitionem initialem Dei.

8° *Richardus de Media Villa* (Middleton), Anglus, † 1300, *Doctor Solidus*, Franciscanus, docuit Parisiis et Oxoniae. Probare suscepit Deum nec sub conceptum generis nec sub conceptum individualitatis cadere, sed esse ens prorsus singulare.

9° *Aegidius de Columna* (Colonna), Romanus, 1247—1316, *Doctor Fundatissimus*, Eremita Augustinianus, docuit Parisiis. — *Petrus Hispanus*, qui fuit Papa Joannes XXI, † 1277, suis «Summulis logicalibus» ex Psello desumptis, scholarum usui multum profuit.

10° *Rogerus Bacon*, Anglus, 1214—1294, *Doctor Mirabilis*, Roberti Capitonis discipulus Oxoniae, deinde Parisiis studuit scientiis naturalibus, factus Franciscanus, docuit Oxoniae. Ob astrologicos multos errores et audacias a Superioribus carceri inclusus, postea jubente Clemente IV liberatus. — In studio naturae sapientissime in experiendis observationibusque vult omnia primitus niti; multisque de physicis, mathematicis, linguisticis cognitionibus etiam theologiae tam necessariis disserit; opticae, astronomiae, matheseos tractatus, et epistolas «de secretis artis et naturae operibus atque nullitate magiae» scripsit; vir ad magna vocatus, spectabilemque humanae scientiae progressum promoturus, nisi temerario ausu metaphysica studia veritatesque certissimas subruere, maximos doctores christianos spernere fuisset aggressus; qua re in se animos potius concitavit, reactionem suam propriumque opus impedit.

11° *Raymundus Lullus*, Majoricensis, 1235—1315, regis Jacobi aulicus valde mundanus, deinde solitarius eremita, novum systema imaginans: «artem magnam» seu universalem scientiarum clavem, mechanicam scilicet medii termini inveniendi methodum circa omnem rem demonstrabilem. Europam peragravit, suum systema propagans, et simul ad Mahumetanorum conver-

sionem omnes excitans; ipse in Africa praedicans ter captivus et male tractatus. — Ejus methodus, etsi nihil scientifici continebat, multos et diu allexit, ita ut etiam saeculo XVI et XVII adhuc invenirentur Lullistae.

12° *Joannes Duns Scotus*, Anglus, 1274—1308, *Doctor Subtilis*, Franciscanus, docuit Oxoniae, Parisiis, et tandem Coloniae; princeps scholae Scotistarum quae se Thomistarum scholae per plura sequentia saecula, fere ad nos usque, opposuit. — Cum S^o Thoma quoad omnia convenit quae ex revelatione certa sunt, in modo explicandi vero saepe dissentit, nunc doctrinas easdem retinens sed argumentorum vim impugnans vel negans, nunc ipsas etiam doctrinas contrarias statuens. Subtile suum ingenium tunc maxime ostendit, quum argumentationum sibi adversariarum infirmitatem ostendere conatur; criticam nimirum non raro ultra modum exercet. Minus tamen felix est in propriis sententiis stabiliendis quam in destruendis alienis. — Plurima apud eum nituntur in distinctione formali ex natura rei (cfr. ontolog. prop. 52); hanc admittit inter essentiam et existentiam in creatis, inter attributa divina, inter ens et attributa ejus transcendentalia, inter substantiam et potentias naturales, inter animas vegetativam, sensitivam, intellectivam in homine, etc; admittit aliquam materiae primae existentiam independentem a forma; formam corporeitatis praeter formam substantialem specificam (cfr. psychol.); fundamentum ultimum intrinsecae moralitatis reponit in libera Dei voluntate (cfr. ethic.); immortalitatem animae naturali probatione demonstrari posse negat.

13° Scoti discipuli et defensores praeclariores fuerunt: *Antonius Andreae*, Aragonius, † 1320, *Doctor Dulcissimus*, Franciscanus. — *Franciscus de Mayronis*, Gallus, † 1325, *Doctor Illuminatus et Acutus*, vel *Magister Abstractionum*, Franciscanus, docuit Parisiis. — *Gualtenus Burlaeus*, Anglus, 1275—1337, *Doctor Planus et Perspicuus*.

14° Thomista prae ceteris acrior Scotistarum impugnator: *Hervaeus Natalis*, ex Britannia minori, † 1323, Dominicanorum Superior Generalis, *Doctor Fidelis*.

§ 2. PHILOSOPHI MYSTICI.

1° Dum scholastici methodo strictae dialecticae tam dogmata religionis christianae quam philosophiam Aristotelicam evolvebant et stabilire conabantur, alii veritates religionis et rationis modo simpliciori magisque ex sensu quodam proponere, atque ita se, suoque exemplo alios ad vitam altiore exhortari et promovere satagebant; unde enata est mystica aevi, philosophiae dialecticae non quidem opposita, quoad res enim plerumque concordabat, sed diversa juxtaposita, praxim vitae potius quam scientificam speculationem quaerens, rerum divinarum contemplationem potius quam systematicam discussionem sibi proponens.

2° Notanda tamen ista duo sunt circa aevi mysticam: — a) Divinam contemplationem immediatam, ceterarumque rerum cognitionem in Deo,

nunquam fuisse pro naturali cognitionis humanae via habitam, sed semper pro dono supernaturali. Naturalem enim cognoscendi viam et originem eodem prorsus modo explicabant mystici sicut reliqui scholastici; — *b)* nunquam fuisse ita in contemplatione mystica abreptos mysticos, ut non darent multum etiam scientificis speculationibus. Has tamen ita secundarie tractant et vitae contemplativae subordinatas, ut exinde specialem aliquam quasi unctionis et aedificationis plenam formam etiam ipsae scientificae sententiae exhibeant.

3° Primus fundator mysticae doctrinae fuit ille de quo jam supra dictum est, *S. Bernardus Claravallensis*, 1091—1153, *Doctor Mellituus*, ordinis Cisterciensis fundator. — Ejus discipuli primi: *Guillelmus* et *Guerricus* abbates; *Rupertus*, abbas, † 1135.

4° *Hugo a S° Victore*, 1097—1141, Yprensis Flander, studuit in Saxonia, docuit Parisiis scholae monasterii Sⁱ Victoris praepositus. Ejus praecipuum opus «*De Sacramentis*» tractatus theologicus ad modum Sⁱ Anselmi, unus ex pulcherrimis totius medii aevi.

5° *Richardus a S° Victore*, † 1173, ex Scotia, Hugonis discipulus et successor, magistro vix inferior, speculativam bene coluit, mysticam explicuit.

6° *Gualterus a S° Victore*, Richardi discipulus et successor, scholasticae speculationi plane infensus; Abaelardum, Petrum Lombardum, Gilbertum, et Petrum Pictaviensem appellat «*quatuor labyrinthos Franciae, qui uno spiritu Aristotelico afflati, ineffabilia Trinitatis et Incarnationis, scholastica levitate tractarent.*»

7° *S. Bonaventura* seu Joannes Fidanza, 1221—1274, Balneoregiensis, *Doctor Seraphicus*, Franciscanus, discipulus Alexandri Halensis, Parisiis docuit theologiam, deinde ordinis sui superior Generalis, et Cardinalis. In speculativis commentariis in Sententias Petri Lombardi, ipsi S^o Thomae vix non par est; sed in mysticis praecipue eminuit. Ea quae a tribus Victorinis (Hugone, Richardo, Gualtero, de quibus paulo superius) tradita fuerant evoluit, auxit, perfecit. Quae doctrina ad sequentia fere reducitur, prout in «*itinerario mentis ad Deum*» exponitur:

Praesupposita Victorinorum distinctione inter *cogitationem* quae phantasiae competat, et *meditationem* quae rationi, et *contemplationem* quae intellectui; quaerit viam ostendere qua contemplatio ab infimis ad summos gradus procedat. Contemplationi vero praerequitur a Deo gratia, ab homine autem sancta conversatio et devota oratio.

Contemplatio igitur eadem via qua generatim cognitio humana procedere debet, nempe a creatura ad Deum ascendendo; est autem creatura duplicis generis, corporeus scilicet et spiritualis mundus: in priore Dei vestigium, in posteriore imago Dei invenitur. Hinc in primo gradu est cognitio Dei ex corporeis, in secundo ex spiritualibus, in tertio ex ipsa Divinitate; itaque primo in mundo corporeo tanquam in vestigio Dei Deum contemlemur, deinde in nos ipsos revertentes Deum in anima nostra tanquam in imagine

ejus speculemur, ac tandem obtutum in ipsam Divinitatem convertentes Deum in seipso immediate adspiciamus oportet.

Porro singuli isti gradus in binos gradus subdividuntur, unde sex isti sint contemplationis gradus:

a) in primo gradu mens Deum contemplatur *per vestigium*; videt nimirum in omnibus exterioribus pondus et numerum et mensuram et gradationem continuam rerum secundum ipsarum perfectiones; qua in re apparent Dei potentia, sapientia, bonitas.

b) in secundo gradu mens Deum contemplatur *in vestigio*; videt nempe quomodo rerum externarum species sensibilis in phantasia nostra generetur, et quomodo ex ista nobis complacentia et appetitus rerum externarum oriatur; qua ex re perducimur ad contemplandam aeternam generationem Filii Dei tanquam imaginis Patris et infinitam beatitudinem quam Pater in Filio et Filius in Patre possidet.

c) in tertio gradu est contemplatio Dei *per imaginem*; si enim animam nostram ejusque potentias inspiciamus, ducimur ad contemplandum Deum, — nam *intellectus* in idea quidem percipit rerum essentias, ac proinde antea debet habuisse ideam ipsius entis; sed ipsum ens videt ut perfectum et imperfectum, completum et incompletum, immutabile et mutabile; videlicet percipit positivum et negationem, hanc autem non nisi in illo; ergo praesupponi debet conceptus perfectissimi realissimi entis, i. e. Dei, ut possit percipi essentia rerum; — in iudicio vero percipimus veritates absolutas et incommutabiles; has autem nos, entia contingentia et mutabilia quum simus, non ex nobis cernere possumus; ergo eas ex necessario et incommutabili lumine Verbi Divini videre debemus, atque ita iterum ad Deum reducimur. — *Voluntas* pariter, quando eligit, iudicium praesupponit quo ex duobus bonis bonum melius et praeferendum dignoscatur; at propterea aliquid est melius, quia ad summe bonum magis accedit; oportet igitur cognitionem summe boni et perfecti praevidiam habeamus, ut possimus bonum melius iudicare atque eligere; unde etiam ex voluntatis consideratione denuo ad Deum adducimur.

[Ontologismum videntur illa omnia sapere; at falso ita diceret; nam in aliis operibus, quoties scholastice easdem res tractat, ontologismo plane et aperte contradicit; modos igitur istos audaciores loquendi, ex S^o Augustino mutuatus esse dicendus est S. Bonaventura, eosdemque minime theoretice ultra modum urgere velle.]

d) in quarto gradu mens Deum contemplatur *in imagine*; videlicet considerat animam nostram prout haec vitam supernaturalem vivit, ornatam gratia et donis ac virtutibus fidei, spei, caritatis; atque ita ad Deum istorum omnium auctorem et exemplar attollitur.

e) in quinto et sexto gradibus, mens relictis omnibus Dei vestigiis et imaginibus, sese immediate ad Deum ipsum contemplandum extollit; et quidem

in quinto gradu Dei essentiam absolutam et attributa essentialia, in sexto autem Dei vitam ad intra, personas Trinitatis, considerat.

At vero, etiam quoad modum et usum contemplandi, varii sunt gradus; in inferioribus enim usu variarum nostrarum facultatum fit contemplatio, in eaque sumus activi nos ipsi; verum supra illos gradus alius eminent sublimior, ecstasis. In ea rapitur mens supra seipsam, liberatur ab omni activitate circa sensibilia et circa suprasensibilia, ingreditur statum alicujus sanctae ignorantiae, qua in contemplatione Divinae unitatis immergitur; in ea etiam inflammatur amor ille, quo propria unitas quasi disrumpitur et animus voluntati divinae ita affectu unitur ac insorbetur. — Hunc statum nemo nisi ipse expertus novit, est enim ille supernaturalis status solius gratiae opus.

Haec Sⁱ Bonaventurae doctrina apud omnes posteriores catholicos semper maximi habita est, eumque tanquam unum ex summis doctoribus commendatum fecit.

8^o Eo tempore initium in Germania habuit mysticorum aliquorum quasi schola, cujus praedicationes ad populum mysticas doctrinas, sed cum exaggerationibus, imo et aliquando cum erroribus in fide et contra rationem etiam naturalem continebant. Horum praecipui fuerunt:

a) *Magister Eckhardt*, Saxo, 1250—1329, Dominicanus, docuit Parisiis, praedicavit per totam Germaniam; — b) *Joannes Tauler*, Argentoratensis, 1290—1361, Dominicanus, praecedentis discipulus famosus in Germania; — c) *Henricus Suso*, 1300—1365, Constantiensis, Dominicanus.

9^o *Joannes a Ruijsbroeck*, *Doctor Exstaticus*, prope Bruxellas natus, 1293—1381, sacerdos saecularis, postea canonicus regularis, vir praecellentis virtutis, late famosus. Hujus opera ex mendosa versione latina fuerunt errorum suspecta, ast in textu primitivo flandrico, altissima quidem sed non nisi pia inveniuntur.

10^o Mysticorum doctrina quamvis viro prudenti sobrie adhibita usui esse possit, et ad multas vastasque intuitiones saepe viam pandat, relationes et analogias rerum quam maxime percellentes exhibeat, et philosophiam cum theologia intimo nexu consociet; tamen homines phantasiae imperio plus aequo subjectos facile perturbat, et in delirantia figmenta abripit. — Qua in re majores doctores, ac praesertim S. Bonaventura, et Joannes Ruijsbroekius, incautis quidem periculosa quaedam habent, universim tamen claritate sua, quae summa est, ab omni errore tutantur, et nihilominus profundissimas saepe veritates dilucide exponunt. — At minus feliciter Mystici Germanici jam medio aevo prima germina continebant, ex quibus postea Lutheranae aliaeque variae perversiones excreverunt; v. c. de justificatione et justitia mere passiva, de legibus, de bonis operibus, etc. Haec enim omnia satis fuit magis explicite, systematiceque proponere, quae per duo jam saecula passim sparsa fuerant.

ARTICULUS 3.

A saeculo medio XIV ad medium XVI.

Per hanc philosophiae scholasticae quasi senescentis et degenerantis periodum, duo praecipue exponenda occurrunt: ipsius scilicet scholasticae status, et incipiens contra eam reactio atque oppositae philosophiae conatus. Hujus quidem reactionis expositionem, utpote recentioris philosophiae initium, plerique historici ad sequentem periodum reservant; at temporis rationem habere cupientes, simulque nexum etiam internum innuere volentes, maluimus eam cum ultimis scholasticis potius comparare. Sint ergo:

§ 1. De philosophis Scholasticis.

§ 2. Reactio contra Scholasticam philosophiam.

§ 1. DE PHILOSOPHIS SCHOLASTICIS.

Degeneratio seu Occasus scholasticae dicitur generatim haec periodus; at non eo sensu illud dici potest, quasi hoc tempore doctrinae scholasticae quoad substantiam reprobatae vel corruptae apud plerosque fuissent: minime enim ita factum est; verum eo solo sensu quod: a) quoad ipsas doctrinas parum vel nihil veri ac solidi profectus in scientiis philosophicis (ac theologicis) factum est, b) quodque lingua magis ac magis barbara et inculta usi sunt auctores, c) et methodus exponendarum atque defendendarum opinionum facta est obscurae et intricatae subtilitatis plena, longitudinisque supra modum; d) ac demum quod in subordinatas, incidentes, ac saepe parum utiles quaestiunculas abierunt auctores. Attamen in rebus majoribus et praecipuis unitas et firmitas doctrinae catholicae scholasticae perseveravit.

Post superioris aetatis doctores, duae inter scholasticos scholae, a se invicem bene distinctae; et in aliquibus rebus oppositae remanserunt: *Thomistarum* scilicet et *Scotistarum*, quarum prior *realistarum*, posterior vero *formalistarum* passim nuncupabantur; idque non ideo quidem quod Scotistae realitatem universalium negarent, quam potius exaggerate magis etiam quam ipsi thomistae affirmabant; sed ideo quod praeter realem distinctionem aliam suam formalem a parte rei in pluribus agnoscendam esse docebant.

Ex utraque illa schola aliqui prodierunt qui de universalibus litem, saeculo praecedente fere sopitam, instauraverunt, nominalismum resuscitantes, acriter disputantes acriterque refutati, nunquam tamen numero vel auctoritate praevalescentes.

1^o *Petrus Aureolus*, † 1321, Verberiensis Gallus, Franciscanus, Scotista, *Doctor Abundans* vel *Facundus*; Parisiis docuit conceptualismum, nominalismi initia seminans.

2^o *Guillelmus Durandus a S^o Porciano*, † 1332, Gallus, Dominicanus, Thomista, *Doctor Resolutissimus*, docuit Parisiis, postea episcopus Meldensis; nominalismum Aureoli evolvit et defendit.

3° *Guillelmus Ockam*, † 1347, Anglus, Franciscanus, Scoti discipulus Oxoniae et Parisiis, docuit Parisiis; *Doctor Singularis*, seu *Venerabilis Inceptor* (sc. nominalium); causam Philippi Galliae regis, ac deinde Ludovici Bavari adversus summum Pontificem tuetur variis libris adversus sedem Apostolicam scriptis; profugus Monachii moritur. Philosophica scripta multa reliquit, Nominalismi praecipuus illo tempore defensor. Hunc plene evolvit et consequenter ad conclusiones deducit; unde et sensualismo et scepticismo recentiorum jam viam aperuit: — *Sensualismo* quidem, *a)* quatenus Roscellini nominalismum restituens, universalia ad flatus vocis revocans, simulque docens «scientiam realem non esse specialiter de rebus tamquam de illis quae immediate sciuntur,» ad conclusionem ducit, hominem nihil praeter singularia cognoscere, ad quod sensus sufficiunt; — *b)* quatenus statuit demonstrari ratione non posse immaterialitatem et incorruptibilitatem rationalis animae; — *Scepticismo* proinde etiam favet tum illis, tum aliis sententiis: «demonstrative probari non posse quod Deus intelligat omnia alia a se,» nec «quod Deus sit causa efficiens alicujus effectus,» neque imo «quod Deus existat.» — *Ethicae* fundamenta subruit, asserens discrimen inter bonum et malum morale non intrinsecum, sed ex libera Dei voluntate esse exortum; neque demonstrari valide posse utrum humanae voluntatis finis sit Deus, neque utrum Dei possidendi capax sit homo.

4° *Joannes Buridanus*, † circa 1360, Ockami discipulus, Parisiis docuit, et Universitatem rexit. In logica imprimis methodum inveniendi medii termini quaerit, quam ad omnia applicandam vocaverunt «pontem asinorum.» — Libertatem ita explicat ut voluntas necessario sequatur intellectum, ad bonum cognitum, vel ad melius determinata.

5° Invadentem Nominalismum pluries eo saeculo Universitates, ac praesertim Parisiensis, repulerunt et damnaverunt, nec tamen plene extinguere potuerunt. — *Thomas de Argentina*, † 1357, Augustinianorum Superior Generalis, ad componendam litem inter Nominalismum et Realismum, plures distinctiones invenit, subtiliores simul et tamen non sufficientes! — *Petrus de Alliaco*, 1350—1425, docuit nominalismum Parisiis, postea Episcopus Cameracensis, et Cardinalis, celebris propugnator Immaculatae Conceptionis B. M. V. Essentiale discrimen ponit inter speculativam et sensualem notionem. Illa dat infallibilem certitudinem propter rationes immediate evidentes; haec autem dat certitudinem solum hypotheticam, supposito nempe cursum naturae ordinarium a Deo non suspendi. Relate ad probationes existentiae Dei multa sophistica et minus recta habet. — Item in Germania: *Gabriel Biel*, † 1495, *Novissimus Scholasticorum*, docuit Tubingae, nihil novi, sed magna claritate Ockami universam doctrinam resumens; ejus opera Luthero et Melancthoni familiaria fuerunt, nec nihil in eorum sententias influxerunt.

6° Contra istorum Nominalium conatus, tota hac periodo, Realistae multo plures et clariores exstiterunt. — *Gualterus Burlaeus* de quo cfr. supra. — Dominicanorum plerique, et imprimis: *Joannes Capreolus*, 1444, Prin-

ceps Thomistarum; — *Dominicus Flander*, † 1500; — *Sylvester Ferrariensis*; — *Thomas de Vio*, Cajetanus, 1470 — 1534, docuit Neapoli, Brixiae, Paviae, Romae; postea Cardinalis, primus et magnus commentator Summae Sⁱ Thomae.

7° *Raymundus de Sabunda*, Hispanus, Tolosae medicinam et philosophiam circa 1437 docebat; ejus liber: «theologia naturalis» satis celebris fuit. Methodo sua Raymundum Lullium sequitur; quoad rem religiosam cognoscendam, duplicem cognitionis fontem agnoscit: naturam creatam, et biblia sacra. Ex priore per ratiocinium omnia hauriri possunt et debent; ex posteriore eadem omnia affirmatione auctoritativa proponuntur. Hinc positiva religionis christianae dogmata ethnicis ex sola ratione probare conatur.

8° Toto hoc tempore tum alibi, tum in Germania praecipue, non interrumpebatur series mysticorum. At praecellens vix ullus memoria dignus invenitur praeter *Joannem Charlier Gersonium*, prope Rhemos natum, 1363—1429, qui Parisiis Petrum de Alliaco audivit, mox ipse docuit, et Universitatis Cancellarius est renuntiatus. Obiit Lugduni. In locum dominantis theologiae scholasticae, superiorem, mysticam, sufficere satagebat, quae et simul vera philosophia esset, et simul orationi per unionem et immersionem animae in Deum, copulata, cuivis probo etsi non erudito homini apta esset.

§ 2. REACTIO CONTRA SCHOLASTICAM PHILOSOPHIAM.

1° Labente ista periodo, contra Scholasticam philosophiam paulatim excrevit reactio, quae late tandem propagata fere totum philosophiae studium subvertit, atque sequentium saeculorum errores omnes ac perturbationes praeparavit. Hujus autem reactionis causae plures concurrerunt, scilicet:

1) Ipsorum scholasticorum defectus simul et excessus. Nam: *a)* plures eorum, praesertim ultimis duobus saeculis, subtilitatibus et vanis quaestionibus ultra modum indulserunt; — *b)* formas litterarias nimis neglexerunt, rudi, incomposito, ac barbaro stylo utentes, mentem et memoriam vacuis formulis non raro obruentes potius quam illustrantes; — *c)* scientias mathematicas, physicasque varias, parvi fecerunt, earum progressum et cultum nimis negligentes (Hic tamen postremus defectus magna ex parte conditionibus et necessitatibus temporum tribuendus est. Postulabat enim aequitas ut antiquiores scholastici contra populorum barbariem et ignorantiam, contra Maurorum errores et praepotentem culturam, veritates religiosas et morales, res nempe super omne aliud nobiles ac necessarias, illustrarent ac vindicarent; ac proinde illis philosophiae partibus se totos darent, quae cum revelatis dogmatibus magis connexae sunt. Quibus primo firmatis ac possessis, tempus erat ut postea ad alias scientias, generi humano utiles quidem at minus primario necessariis, excolendas et promovendas transirent, animosque intenderent. At misere factum est ut, propter causas quas mox enunciabimus, rem parum curantes in alia extrema abierint).

2) Errores aperti et praxes reprobandae eorum qui physicis experimentis passim incumbant, v. c. Rogerii Baconis, Judaeorum medicorum, Arabum philosophorum, alchemistarum et astrologorum; unde facta est apud fideles christianos non paucos aversio nimia ab omnibus etiam apparenter similibus studiis. Nec sufficere potuit solus B. Albertus Magnus contra reliquos omnes.

3) Ortus novae civium liberorum classis in civitatibus florentibus et praedivitis; quo factum est ut, praeter ecclesiasticam et monachalem scientiam traditionalem, alia civilis cultura exurgeret, novitatis et libertatis curiosior.

4) Scripta Ockami qui Nominalismum Roscellini, et Abaelardi rationalismum ex parte excitans, independentiam rationis ac despectum potestatis summorum Pontificum praeparavit, disputandique furorem exacuit.

5) Magnum schisma Occidentis, ex quo imminuta est religionis Christianae ac Sedis Apostolicae veneratio.

6) Regum et potestatis saecularis nimia exaltatio, cujus exaggerationem et abusum promoverunt jurisperiti, qui legibus christianis aggressi sunt juris Romani ac Caesarei placita substituere.

7) Wicleffistarum, Hussitarum, alique errores et bella contra auctoritatem Ecclesiae.

8) Renovatio studii litterarum antiquarum effraena, per humanistas instituta, adventantibus Graecis in Italiam et Germaniam, tum ante tum praecipue post expugnatam Constantinopolim, 1453.

9) Artis typicae, et Novi Orbis inventiones, quae mentium vehementem commotionem excitarunt, non semper ad meliora inclinantem.

2° Jam anno 1339, Monachus Bernardus Barlaam ex Calabria, linguam et litteras graecas docuit poetam Franciscum Petrarcam, 1304—1374; qui toto animo illis inhaerens, Platonem aliosque Graecos omnibus aliis praeferre, atque late notos facere et laudare coepit Ciceronem et Virgilium. — Nec minus ardebat alter poeta Joannes Boccaccio, 1313—1375, cujus opera Leon-tius Pilatus, Barlaami discipulus, Florentiae factus est linguae graecae professor, 1350. — Primus ex Graecia venit Manuel Chrysoloras, Constantinopolitanus, † 1415, qui litteras graecas in variis Italiae urbibus docuit, graecorum antiquorum lectionem vulgare coepit. — Talium paulatim auctus est numerus, moxque Plato tanquam scientiae et philosophiae princeps habitus est.

3° Ea igitur fuit reactio, ut passim ad antiquiores errores Graecorum et Latinorum redirent, nondum quidem Christiana dogmata aperte rejicientes, sed ea passim ita explicare et interpretari conantes ut ad antiquitatis paganae modos dicendi et cogitandi mox accederent. Sint igitur exponendae :

- I. Schola Cusana.
- II. Schola Platonica.
- III. Schola Cabbalistica.
- IV. Schola Neo-Aristotelica.
- V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

I. Schola Cusana.

Nicolaus de Cusa prope Trevirim natus, 1401—1464, studuit Deventeri et Patavii jus, matheses, theologiam; Cardinalis et episcopus Brixensis. Rejecta scholasticorum logica et methodo, sequitur mysticos ac praesertim Eckhard-tio adhaeret. Ad haec reduci possunt ejus doctrinae capita praecipua :

a) *in logica*. Praeter facultatem sensitivam, duae aliae sunt facultates cognitivae hominis: ratio, i. e. vis discurrendi, formans conceptus ex sensibilibus, non independens ab organo sed inhaerens cerebro; et intellectus, i. e. vis altior vere immaterialis, intuens veritatem. — Ratio ligatur principio contradictionis aliisque legibus logicis, sed intellectus a principio etiam contradictionis liber est. — Veritatis capax intellectus non est nisi ope auxilii divini, nempe fidei lumine a Deo infuso.

b) *circa Deum*. Deus est ens maximum simul et minimum, omnium differentiarum et contradictionum absoluta identitas; — Deus est omnia «complicite», i. e. complicatio omnis esse cujuscumque existentis; mundus vero est omnia illa «explicite», i. e. explicatio et diversificatio illorum omnium quae in Deo sunt identice unita. — Non ergo possumus Deum vel rerum essentias cognoscere; estque summa scientia confessio nostrae ignorantiae: «docta ignorantia,» soli intellectui propria, nam ratio non nisi scientiam conjecturalem attingit.

c) *de mundo*. Pantheismum effugere cupiens docet distinctionem realem inter mundum et Deum; mundumque esse creatum a Deo ex nihilo; sed hanc creationem ita explicat, ut Deus esse suum rebus communicaverit, sitque ipse omnia in omnibus; ita ut mundus non sit nisi «invisibilis Dei apparitio,» nec Deus sit nisi «visibilium invisibilitas.»

d) *de anima*. Anima hominis est spiritualis, immortalis, forma substantialis corporis, triplicis vitae principium unicum, vegetativae, sensitivae, intellectivae. — Intellectualis cognitio consistit in assimilatione intellectus cum rebus; unde anima omnia cognoscens fit omnia, universalitate assimilationis, non sicut Deus qui est omnia universalitate veritatis. At, quum anima veritatem intelligere nequeat nisi lumine divino, lumen autem hoc divinum Deus ipse sit, quoties lumine illo intellectus repletur, unio talis efficitur ut intellectus se similitudinem Dei videat, qua ipse totus in Deo, Deus omnia in eo sit; estque haec nostra Deificatio et Filiatio Divina. — Vix a mystico pantheismo differre ea omnia clarum est.

II. Schola Platonica.

1° Georgius Gemisthus Plethon, Constantinopolitanus, 1355—1452, Florentiae docuit philosophiam quam Platonis dicebat, quae tamen potius Plotini erat (cfr. sup.). — In critica sua a) statuit Aritotelem errare in doctrina de universalibus, b) defendit et anteponit Platonis theoriam idearum, c) censet

Aristotelem perperam limitare activitatem primi motoris, et negare divinam providentiam, dubitare de immortalitate animae, false definire virtutem, errare de summo bono, etc.

2° Quum contra Plethonem ardentem Aristotelem defenderent *Theodorus Gaza*, Thessalonicensis, † 1478; — *Georgius Trapezuntius*, 1396—1486, qui Plethonem etiam polytheismi insimulatur; — et *Georgius Scholarius Gennadius*, Constantinopolitanus Patriarcha, † 1464; — tum medius quasi conciliator intervenit *Bessarion*, Trapezuntius, 1395—1472, Nicaenus archiepiscopus, postea Cardinalis, Pletonis discipulus sed multo moderatior.

3° *Marsilius Ficinus*, Florentinus, 1433—1499, princeps academiae Platonicae a Cosmo de Medicis institutae, verum et genuinum sensum philosophiae Platonicae haurire satagit, tum ex fontibus antiquioribus quibus ipse Plato usus fuerit, tum ex Neoplatonicis tanquam interpretibus. Horum operum versiones latinas bonas edidit, quibus suos commentarios addidit. Creationem admittit; sed in ideologia Ontologismum recentiorem praeformat.

III. Schola Cabbalistica.

1° *Joannes Picus de Mirandola*, 1463—1494, studuit Bononiae, Patavii, Parisiis, tandem Florentiae. Totum se Platonismo dedit. Quam doctrinam ex libris Veteris Testamenti fuisse haustam ratus, linguae hebraicae librisque Cabbalisticis incubuit, Platonismum Cabbalae mixtum protulit; idque in eum finem ut religionem christianam contra Judaeos et Infideles defenderet. — Anno aetatis 24, Romae theses proposuit 900, de omni re scibili, adversus omnes universi doctos defendendas; at damnatis aliquibus earum, disputatio praepedita fuit. — Astrologiam contemnit ac refutat, sed magiam naturalem approbat. — Fere in omnibus sequitur avunculum nepos *Joannes Franciscus Picus de Mirandola*, † 1533.

2° *Joannes Reuchlin*, Pforzheimiensis, 1455—1522, primus ex Italia Platonismum Pythagorismo et Cabbalisticis placitis permixtum in Germaniam retulit. Cabbalam scripto et verbo docuit Ingolstadii et Tubingae.

3° *Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim*, Coloniensis, 1487—1535, Juris et Medicinae peritus, humanioribus litteris deditus, in philosophia Lullio et Joanni Reuchlin adhaeret, Cabbalam practicam, scilicet mysticismum et artem magicam colit et evolvit, non sine scepticismo aliquo.

4° *Philippus Bombastus de Hohenheim* (quod ipse fecit interpretatum: *Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus*), Einsiedlensis, 1493—1541, suam scientiam et artem medicam fundare in philosophia, theologia, chemia et theosophia intendit; unde scientias naturales cum scientia cabbalistica conjungit.

IV. Schola Neo-Aristotelica.

1° Praeter Aristotelicos scholasticos, qui, apud septemtrionales praesertim, in realistas et nominalistas dividebantur, de quibus cfr. supra; — et Aris-

totelicos Orientales, qui contra Plethonem et neoplatonicos decertabant, cfr. sup.; — alia fuit hoc tempore Aristotelicorum, in Italia praesertim divisio et ardens disputatio, inter *Averrhoistas* et *Alexandristas*.

2° Averrhoisticam scholam Patavii incepit *Petrus de Abano*, † 1315, medicus, — post quem *Urbanus de Bononia*, † 1403, — et alii, usque ad *Franciscum Piccolomini*, † 1604. — Horum antiquiores praecipue unitatem intellectus in omnibus hominibus defendebant, recentiores tamen tum illam tum alias cum fide pugnantem sententias mitigaverunt, et paulatim orthodoxiae conformaverunt.

3° Alexandristicam Scholam Patavii incepit *Petrus Pomponatius*, Mantuanus, 1462—1524, — *Andreas Caesalpinus*, 1519—1603, — et plures alii, usque ad *Lucilium Vanini*, † 1619. — Hi Aristotelem interpretari quaerebant ex ipsius, et commentariis Graecorum, praesertim Alexandri Aphrodisiaci (unde eorum nomen); ac praesertim contra immortalitatem animae disputabant, quae esset philosophice neganda, theologice affirmanda. — Novissimi aliqua sua ab Aristotele aliena admiscebant.

V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

1° Stoicismum antiquorum resuscitavit et cum Catholicismo conciliare conatus est *Justus Lipsius*, 1547—1606, Ysschiensis; studuit Bruxellis, Lovanii, Coloniae. Fatum interpretatur actionem divinae providentiae, rerum naturis conformem, ac proinde fixam et immutabilem. — Eum pauci sequuntur.

2° Epicureismum resuscitavit *Petrus Gassendi*, 1592—1655, sed illum corrigens et fidei dogmatibus adaptans: a) quoad cognitionis originem et processum sequitur magistrum suum; — b) animam rationalem esse spirituales admittit; — c) explicat corpora per vacuum et atomos, sed rejicit infinitudinem tum pro vacuo tum pro atomorum numero; mundi originem et ordinem non casui sed creationi divinae tribuit; — d) distinguit inter felicitatem aeternam, quae ad philosophicas quaestiones non pertineat, et temporalem, quae sit in privatione mali et possessione omnium, quantum fieri possit, bonorum.

3° Jonismum Aristotelismo praeferit *Claudius Berigard*, 1592—1663, docens Pisae et Pataviae; quia errores v. c. circa ortum rerum, elementorum aeternitatem, etc. facilius corrigantur apud Jones.

CAPUT III.

A LUTHERO USQUE AD LEONEM XIII.

Ex tanta periodi praecedentis reactione contra Scholasticam veritatem, tantaque systematum atque errorum diversitate et confusione, factum est

Aristotelem perperam limitare activitatem primi motoris, et negare divinam providentiam, dubitare de immortalitate animae, false definire virtutem, errare de summo bono, etc.

2° Quum contra Plethonem ardentem Aristotelem defenderent *Theodorus Gaza*, Thessalonicensis, † 1478; — *Georgius Trapezuntius*, 1396—1486, qui Plethonem etiam polytheismi insimulatur; — et *Georgius Scholarius Gennadius*, Constantinopolitanus Patriarcha, † 1464; — tum medius quasi conciliator intervenit *Bessarion*, Trapezuntius, 1395—1472, Nicaenus archiepiscopus, postea Cardinalis, Pletonis discipulus sed multo moderatior.

3° *Marsilius Ficinus*, Florentinus, 1433—1499, princeps academiae Platonicæ a Cosmo de Medicis institutæ, verum et genuinum sensum philosophiæ Platonicæ haurire satagit, tum ex fontibus antiquioribus quibus ipse Plato usus fuerit, tum ex Neoplatonicis tanquam interpretibus. Horum operum versiones latinas bonas edidit, quibus suos commentarios addidit. Creationem admittit; sed in ideologia Ontologismum recentiorem præformatur.

III. Schola Cabbalistica.

1° *Joannes Picus de Mirandola*, 1463—1494, studuit Bononiae, Patavii, Parisiis, tandem Florentiæ. Totum se Platonismo dedit. Quam doctrinam ex libris Veteris Testamenti fuisse haustam ratus, linguæ hebraicæ librisque Cabbalisticis incubuit, Platonismum Cabbalæ mixtum protulit; idque in eum finem ut religionem christianam contra Judæos et Infideles defenderet. — Anno ætatis 24, Romæ theses proposuit 900, de omni re scibili, adversus omnes universi doctos defendendas; at damnatis aliquibus earum, disputatio præpedita fuit. — Astrologiam contemnit ac refutat, sed magiam naturalem approbat. — Fere in omnibus sequitur avunculum nepos *Joannes Franciscus Picus de Mirandola*, † 1533.

2° *Joannes Reuchlin*, Pforzheimiensis, 1455—1522, primus ex Italia Platonismum Pythagorismo et Cabbalisticis placitis permixtum in Germaniam retulit. Cabbalam scripto et verbo docuit Ingolstadii et Tubingæ.

3° *Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim*, Coloniensis, 1487—1535, Juris et Medicinæ peritus, humanioribus litteris deditus, in philosophia Lullio et Joanni Reuchlin adhaeret, Cabbalam practicam, scilicet mysticismum et artem magicam colit et evolvit, non sine scepticismo aliquo.

4° *Philippus Bombastus de Hohenheim* (quod ipse fecit interpretatum: *Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus*), Einsiedlensis, 1493—1541, suam scientiam et artem medicam fundare in philosophia, theologia, chemia et theosophia intendit; unde scientias naturales cum scientia cabbalistica conjungit.

IV. Schola Neo-Aristotelica.

1° Praeter Aristotelicos scholasticos, qui, apud septemtrionales praesertim, in realistas et nominalistas dividebantur, de quibus cfr. supra; — et Aris-

totelicos Orientales, qui contra Plethonem et neoplatonicos decertabant, cfr. sup.; — alia fuit hoc tempore Aristotelicorum, in Italia praesertim divisio et ardens disputatio, inter *Averrhoistas* et *Alexandristas*.

2° Averrhoisticam scholam Patavii incepit *Petrus de Abano*, † 1315, medicus, — post quem *Urbanus de Bononia*, † 1403, — et alii, usque ad *Franciscum Piccolomini*, † 1604. — Horum antiquiores praecipue unitatem intellectus in omnibus hominibus defendebant, recentiores tamen tum illam tum alias cum fide pugnantem sententias mitigaverunt, et paulatim orthodoxiae conformaverunt.

3° Alexandristicam Scholam Patavii incepit *Petrus Pomponatius*, Mantuanus, 1462—1524, — *Andreas Caesalpinus*, 1519—1603, — et plures alii, usque ad *Lucilium Vanini*, † 1619. — Hi Aristotelem interpretari quaerebant ex ipsius, et commentariis Graecorum, praesertim Alexandri Aphrodisiaci (unde eorum nomen); ac praesertim contra immortalitatem animae disputabant, quae esset philosophice neganda, theologice affirmanda. — Novissimi aliqua sua ab Aristotele aliena admiscebant.

V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

1° Stoicismum antiquorum resuscitavit et cum Catholicismo conciliare conatus est *Justus Lipsius*, 1547—1606, Ysschiensis; studuit Bruxellis, Lovanii, Coloniae. Fatum interpretatur actionem divinae providentiae, rerum naturis conformem, ac proinde fixam et immutabilem. — Eum pauci sequuntur.

2° Epicureismum resuscitavit *Petrus Gassendi*, 1592—1655, sed illum corrigens et fidei dogmatibus adaptans: a) quoad cognitionis originem et processum sequitur magistrum suum; — b) animam rationalem esse spirituales admittit; — c) explicat corpora per vacuum et atomos, sed rejicit infinitudinem tum pro vacuo tum pro atomorum numero; mundi originem et ordinem non casui sed creationi divinae tribuit; — d) distinguit inter felicitatem aeternam, quae ad philosophicas quaestiones non pertineat, et temporalem, quae sit in privatione mali et possessione omnium, quantum fieri possit, bonorum.

3° Jonismum Aristotelismo praefert *Claudius Berigard*, 1592—1663, docens Pisae et Pataviae; quia errores v. c. circa ortum rerum, elementorum aeternitatem, etc. facilius corrigantur apud Jones.

CAPUT III.

A LUTHERO USQUE AD LEONEM XIII.

Ex tanta periodi praecedentis reactione contra Scholasticam veritatem, tantaque systematum atque errorum diversitate et confusione, factum est

quod fieri necessario debebat. Quum enim primum Lutherus aperte se ab Ecclesiae auctoritate avellere, eamque rebellis publice et sine ambagine impugnare ausus fuit, tum illico plerique ab omni se auctoritate religiosa liberare et mox omnem quoque aliam auctoritatem socialem et civilem abjicere, omnem traditionem deserere aggressi, novas sibi vias aperire, novas doctrinas et philosophica systemata condere coeperunt. In his tribus saeculis tres periodos distinguamus :

Sectio 1. De innovatione philosophiae.

Sectio 2. De evolutione philosophiae novae.

Sectio 3. De philosophiae reformatione.

SECTIO 1.

DE INNOVATIONE PHILOSOPHIAE, USQUE AD MEDIUM SAECULUM XVII.

Deserta igitur traditionali veritate, et Ecclesiae ductu, novas sibi quisque vias quaerentes, alii aliquid tamen ex scholis antiquis resuscitatis per humanistas retinentes, eclecticice sibi novam philosophiam confecerunt; alii vero omnem omnino antiquitatem deserentes, a primis fundamentis novitatem extruere tentaverunt. Interim tamen in Ecclesia Catholica ipsa non plene periit traditionum thesaurus. Sint ergo per hoc saeculum, a medio XVI ad medium XVII :

Articulus 1. Philosophia ex praecedentibus eclectica nova.

Articulus 2. Philosophiae modernae ortus.

Articulus 3. Philosophia scholastica.

ARTICULUS 1.

Philosophia ex praecedentibus eclectica nova.

Inter istos quaesitores novitatis, non omnes in omnibus pariter partibus philosophiae se exercuerunt, sed distinguamus ad claritatem :

§ 1. Qui magis circa logicam elaboraverunt sua systemata,

§ 2. Qui potius circa res physicas et metaphysicas,

§ 3. Qui circa ethicam et jus civile,

§ 4. Qui circa res religiosas et dogmaticas,

§ 5. Qui circa mysticam;

§ 6. Qui in scepticismum abierunt.

§ 1. CIRCA LOGICAM.

Petrus Ramus, Gallus, 1515—1572, docuit Parisiis, Calvinista, occisus est nocte Sⁱ Bartholomaei. Aristoteli maxime infensus, logicam praesertim reformavit ad usus magis rhetoricos. Dialecticam definit : « virtutem disserendi, »

dividitque in dialecticam naturalem, dialecticae artem, et dialecticae exercitationem.—Natura duce, si quis quaestionem solvere quaerit, prius rationem aliquam excogitat et argumentum invenit quo quaestioni respondeat, deinde excogitam rationem generalem quaestioni positae particulari applicat, et respondet. — Hinc in *dialecticae arte* duae sint partes : de *inventione*, et de *judicio* (i. e. applicatione ista). In priore parte dantur varii loci communes unde rationes promantur; in altera vero enumerantur tres iudicii gradus, quorum primus est *sylogismus*, quo rationes et applicationes ita ordinantur ut sequatur quaestionis solutio; secundus est *dispositio* plurium solutionum in unum corpus totum doctrinae per definitionem et divisionem; tertius est omnium scientiarum et doctrinarum sic acquisitarum *reductio ad Deum* cognoscendum et laudandum. — In tertia tandem parte, Dialecticae *exercitationem* reponit in *interpretatione* optimorum exemplorum apud auctores antiquos, in *scriptione* propria, et *dictione*.— Late sparsa et accepta fuit ista reformatio dialecticae, praesertim in Helvetia, Germania et Anglia, sed et multos adversarios habuit; bonum aliquid nimirum continebat, quod simplicitatem majorem in scientia logica quaerebat; sed infirmum hoc, quod et leges formasque cogitandi obscurius ac confusius tradebat, et ipsam logicam scientiam cum arte rhetorica confundens, utramque incompletam et imperfectam proponebat.

§ 2. CIRCA RES PHYSICAS ET METAPHYSICAS.

1° *Hieronymus Cardanus*, Paviensis, 1501—1576, medicus, mathematicus, philosophus, numerosis suis scriptis, sine ordine, sine criterio, res omnes naturales, artificiales, supernaturales, in unum systema compingere conatur : admittit intellectum unicum Averrhoistarum, mysticismum exaggeratum, artes occultas et magicas colit.

2° *Bernardinus Telesius*, Consentinus prope Neapolim, 1508—1380, studuit Mediolani, Romae, Patavii. Fundavit Neapoli famosam Academiam Telesianam seu Consentinam. — Combinationem philosophicam juxta principia Heracliti et Parmenidis composuit, quae suo quidem tempore magno plausu excepta, nonnihil etiam in immediate posteriores influxit philosophos, nihil tamen in generalem philosophiae historiam.

3° *Thomas Campanella*, Calaber, 1568—1639, Dominicanus, Telesii discipulus, ob conjurationis crimen politicum diu ab Hispanis in carcere retentus, deinde in carceribus romanae inquisitionis, tandem Parisiis ultimos vitae annos vixit, vir inquieti animi, reformationum cupidus. — Aristotelem maxime impugnat. Omnes metaphysicas quaestiones dividit in principia sciendi, principia essendi, et principia operandi. — a) Principia sciendi contra scepticos defendit, cognitiones nimirum sensibilem experimentalem, et intellectualem; — b) Principia essendi reducit ad potentiam, sapientiam, amorem, quia omnis res, quatenus est, potest agere vel pati, novit entitatem,

et tendit ad finem; unde et principia non essendi sunt impotentia, insipientia, odium; — Deus produxit primo spatium, dein materiam, demum duas vires: calorem et frigus, et in creaturas influit tres magnos influxus: necessitatem, fatum, harmoniam; — totum universum est animatum ab anima una; — c) Principia operandi sunt potentia, sapientia, amor, libertas indifferentiae; quae a passionibus continuo depravantur; et philosophiae politicae est stabilire in societate harmoniam potentiae, sapientiae, amoris.

4° *Giordano Bruno*, Nolanus, 1550—1600; jam adolescens moribus corruptus, postea Dominicanus, sed deinde apostata, corruptione, contemptu et odio religionis christianae famosus, tandem Romae haereticorum poena vivus crematus. — Is Lullii methodo utens, Nicolai Cusani sententias ad extremas consequentias evolvit, nempe ad pantheismum.

§ 3. CIRCA ETHICAM ET IUS CIVILE.

1° *Nicolaus Machiavelli*, Florentinus, 1469—1527, vix aliquod positivum systema exstruit, sed potius ea destruit quae ab omnibus admittebantur. Vult nimirum ut patriae prosperitati et magnitudini libertatique omnia cedant, omnia apta media eo ipso fiant legitima et moraliter bona, quod sint utilia. — Jam famosum modernum principium nationalitatum statuit; Ecclesiaeque est infensus, quae hujus principii applicationem, Italiaeque totius unitatem politicam impedit.

2° *Thomas Morus*, Londinensis, 1480—1535, regni Angliae cancellarius, sub Henrico VIII, capite truncatus ob negatum jusjurandum impiae regis supremae. — Describit insulam ignotam idealem: *υτοπία*, regiminis perfecti, agricultura maxime nitentis, bonorumque omnium communitate. — Post eum multi alii Utopistae passim sua varia somnia conscripserunt; plerique regimen republicanum democraticum, bonorum communitatem vario gradu, religionum libertatem laudant.

3° Circa originem auctoritatis principum eo saeculo lis fuit inter protestantes reformatores, qui omnem auctoritatem principibus immediate a Deo conferri docere coeperunt, eamque nimium extollere tamquam semper juris divini et omnipotentem jurium et officiorum fontem, et catholicos scholasticos, qui auctoritatem docebant esse juris divini quidem, sed mediante populo collatam, eamque intra justitiae limites et legi aeternae subditam (cfr. Bellarminus et Suarez).

4° *Hugo Grotius*, Delftanus Batavus, 1583—1645; duobus operibus suis: «Mare liberum, seu de jure quod Batavis competit ad Indica commercia,» et «de jure belli et pacis,» theoriam juris naturalis fundavit et primus elaboravit, qua re multum in posteriora ethicae studia influxit. — Dividit jura in jus divinum et jus humanum, quorum prius in Veteri et Novo Testamentis, posterius in origine humana fundatur; atque hoc iterum est duplex, jus naturale scilicet et jus voluntarium seu civile. Naturale est quod ex natura

humana deducitur, vel quod ad societatem (homini naturalem, ut patet ex facultate loquendi) conservandam necessarium, vel quod ex universali consuetudine inveteratum. — In statu primitivae innocentiae, communitas positiva bonorum omnium erat; sed post depravationem hominum necessarium fuit jus proprietatis, quod ex pacto et conventionem saltem tacita omnium ortum est. — Idem dicendum de origine societatis civilis ex pacto communi. — Contra auctoritatem civilem non praevalet proprietatis jus privatum, sed econtra status habet «dominium eminens» in omnes civium proprietates, sine compensatione publicandas ob publicam utilitatem.

5° Eadem fere viam inivit *Samuel Puffendorff*, Chemnitzinus, 1632—1694.

§ 4. CIRCA RES RELIGIOSAS ET DOGMATICAS.

1° Lutherus omnem philosophiam abhorrendam et contemptu habendam docuit; ast nihilominus necessitate adacti jam primi ejus discipuli, ad reformationem suam defendendam, philosophica argumenta conquirere, systemati alicui adhaerere coeperunt. Eclectice quidem procedebant; maximam tamen partem ex Aristotele hauriebant.

2° *Philippus Melancthon*, Brettensis, 1497—1560; doctrinis Aristotelicis admiscet Nominalismum, admittit ideas innatas, innataque principia prima et cognitionem existentiae Dei. De unitate animae rationalis et sensitivae dubitat. Libertatem humanam relate ad salutem rejicit, quoad cetera admittit.

3° *Nicolaus Taurellus*, Mompelgardensis, 1547—1606, docuit philosophiam et medicinam Basileae et Altorfii. Multus est in Aristotele impugnando, vix aliquid suum profert; auctoritatem nullam in philosophia agnoscit. Ipsa etiam protestantium dogmata non omnia tenet, quare ab aliis protestantibus aliquando male tractatus est.

4° *Laelius Socinus*, Senensis, 1525—1562, qui vixit in Helvetia, Germania, Polonia; — ejusdemque nepos *Faustus Socinus*, 1539—1604; negant Trinitatem, Divinitatem Christi, peccatum originale, sacrificium, gratiam; resuscitant proinde errores Monarchianorum, Ebionitarum et Pelagianorum; naturalismum et rationalismum adstruunt, qui late apud Polonos, Germanos, Anglos, Belgas, propagatus et in ipsis universitatibus Germaniae dominans factus est etiamnum.

§ 5. CIRCA MYSTICAM.

Doctrina Lutheri non solum rationalismo sed etiam mysticismo favet. Inde ab initio reformationis exsurgunt plures mystici.

1° *Valentinus Weigel*, Meissius, 1533—1588, studuit Lipsiae, fuit pastor in Saxonia. Distinguit inter cognitionem naturalem et supernaturalem. Prior non oritur ex objecto sed ex sola mentis activitate; neque intellectus assimilatur rebus, sed res sunt dijudicandae secundum apprehensionem subjectivam; imo lectio librorum est tantum occasio qua scientia nobis innata

excitetur. — In supernaturali cognitione contrarium obtinet: intellectus est passivus, Deus in homine habitat, et est id quod percipimus et quo percipimus; unde Deus seipsum in nobis agnoscit.

2° *Jacobus Böhme*, Görlitzensis, 1575—1624, sutor, visionarius. Scripsit germanice non paucos libros, qui in plures alias linguas versi editi fuerunt. Ejus systema migma satis inconditum est doctrinarum protestantium de gratia, alchemiae et cabbalae; legerat nempe auctor Weigel et Paracelsum; neque pantheismo alienus est theosophus, manichaeismi, supernaturalismi et praedestinatianismi placita combinans... In philosophiam et theologiam protestantium germanicorum multum influit, eique adhaeserunt vel ad eum reducti sunt fere quotquot inter protestantes speculative suas doctrinas tractare voluerunt; idque eo eventu ut perpetuo auferentur confusiones et dissensiones eorum.

§ 6. SCEPTICISMUS.

In tanta aberrationum varietate fieri non poterat, ut ad scepticismum non aliqui irrisores devenirent. Id accidit *Michaeli Montaigne*, Petragoricensi, 1533—1592, viro multae lectionis et eruditionis; — *Petro Charron*, Pariensi, 1541—1603, juristae, sacerdoti canonico, prioris amico et discipulo; — *Francisco Sanchez*, Lusitano, 1562—1632, medicinae et philosophiae professori Tolosae.

ARTICULUS 2.

Philosophiae modernae ortus.

Eorum qui, cum omni praecedenti traditioni valedixissent, a primis fundamentis novitatem extruere aggressi sunt, apte duae directiones diversae atque sibi invicem fere oppositae discerni possunt. Alii enim initium philosophandi sumunt ab experientia, eique nimium adhaerentes in empirismum dilabuntur; alii econtra sectantes principia rationis, rationalismum excolunt. Praeter quas duas directiones nova systemata exoriuntur ex reagentibus aliis.

§ 1. Empirismus et Deismus Baconianus.

§ 2. Rationalismus Cartesianus.

§ 3. Conatus reagentis Platonismi, Mysticismi, Scepticismi.

§ 1. EMPIRISMUS ET DEISMUS BACONIANUS.

1° *Franciscus Bacon de Verulamio*, Londinensis, 1561—1626, Cancellarius Angliae regni (1619) sed mox ob concessionem et venalitatem omnibus muneribus et dignitatibus privatus (1621). — Injuriose contemnit Scholasticos ob defectum observationis naturae et ob usum syllogismi; salutem omnem

philosophiae in naturae observatione et methodo inductiva reponit, quas tanto ardore extollit, ut licet ipse alios scientiae fontes admittat, merito tamen ab omnibus pater empirismi recentioris habeatur. — Rationem novae philosophiae exponit in operibus nomine «instauratio magna» insignitis. Cujus tres sunt partes: 1) «de dignitate et augmentis scientiarum,» 2) «novum organum scientiarum,» 3) imperfectum mansit opus quod ex auctoris consilio expositionem scientiarum praebere debuit. — 1) In prima parte exhibet ambitum scientiarum: «globum intellectualem.» Distinguit nempe tres facultates cognitivas humanas: memoriam, phantasiam, rationem. — Ad memoriam pertinet historia, ad phantasiam poesis, ad rationem scientia seu philosophia proprie dicta. Has vero ita subdividit:

a) historia est:

naturalis, describens

- { naturam liberam in cursu ordinario phaenomenorum regularium.
- { naturam excentricam seu phaenomena monstrosa.
- { naturam homini subjectam, seu phaenomena artificialia, artes.

civilis, quae est

- { civilis proprie dicta.
- { sacra.
- { litteraria.

b) poesis est narrativa, vel dramatica, vel parabolica.

c) scientia proprie dicta est:

humana — ex viribus rationis naturalis

- { prima — de primis communibus omnis scientiae axiomatibus.
- { de natura (philosophia naturalis), sive ascensoria ab effectibus ad causas, sive descensoria a causis ad effectus.
 - { speculativa — — cognitio legum naturae.
 - { physica — — circa causas efficientes et materiales.
 - { metaphysica — circa causas formales et finales.
 - { practica — applicatio legum naturae. — Ad hanc mathesis est scientia mere instrumentalis.

de homine

philosophia humana seu anthropologia.

- { somatologia
- { psychologia

- { de anima rationali, quae est a spiraculo Dei.
- { de anima irrationali, sensibus et perceptionibus.
- { logica, ad illuminationis puritatem,
- { ethica, ad liberae voluntatis directionem.

de Deo, quae non dividitur, quia solam existentiam Dei demonstrare potest, cetera omnia ad scientiam ex revelatione rejicere debet.

supernaturalis, ex revelatione omnem scientiam humanam complens.

2) In altera operis parte quae est « Organum novum » ostendit qua methodo in scientia procedendum sit, in interpretanda rerum natura; haec enim ex praecedentibus divisionibus apparet esse sola scientifica nostra cognitio. — Imprimis igitur removenda sunt impedimenta scientiae, seu causae errorum, quas vocat idola (quia falsa scientia sit quasi idololatria intellectualis, cultus veritati debitus, falsitati praestitus). Ea sunt : a) *idola tribus*, i. e. praejudicia communia omnibus hominibus; b) *idola specus*, i. e. praejudicia individualia; c) *idola fori*, i. e. praejudicia ab hominibus sibi mutuo communicata; d) *idola theatri*, i. e. praejudicia ex auctoritate philosophorum et doctorum apud suos enascentia. — Deinde tenenda est observatio naturae et inductio, cujus regulae sint : a) simpliciter observare phaenomena naturae, et has observationes vocat *instantias naturae*; b) observationes in tabulas colligere facili ordine redactas, quas vocat *comparationes instantiarum*; c) per inductionem pervenire ad realem mundi cognitionem. — Eandem methodum etiam ethicae et iuri applicandam esse censet.

Bacon consequentias omnes non praevitit quas nos ex ejus principiis deductas videmus, at nihilominus logice exinde ac necessario ad materialismum et scepticismum hodiernum deveniendum erat. Metaphysicae certe et morali scientiae plurimum nocuit et interitum paravit; physicis autem scientiis experimentalibus multum profuit, jam enim omnes naturae observandae, novis ac variis experimentationibus instaurandis, factis calculo mathematico subjiciendis incumbere coeperunt, novasque scientias physicas, chemicas, aliasque fundaverunt.

2° *Thomas Hobbes*, Malmesburgensis, 1588—1679, Baconis amicus et discipulus, vixit diu in Gallia, ubi adolescentem regem Carolum II Angliae exulem educavit, vir ingenio et moribus corruptus. Is purum materialismum docet; a) *quoad naturam* : corpus esse substantiam, et substantiam quae non corpus sit, esse figmentum; — hominem esse corpus tantum, subjectum cogitationis; — spiritum esse corpus quod ob subtilitatem non agit in sensus; — universalis esse mera verba pluribus applicabilia; — negat libertatem indifferentiae, appetitum enim necessario trahi bono majore; libertatem non esse nisi immunitatem a coactione in executione. — Bonorum primum est sua cuique conservatio, morumque regula nulla communis, sed quod cuique convenit.

b) *quoad societatem* : natura cuique dedit jus ad omnia, estque status homini naturalis bellum omnium cum omnibus; — hinc necessarium remedium conventio in societatem, ad mutuam pacem et auxilium; — et quia « pactis standum est, » oritur obligatio vinculi socialis, et potestas uni collata ab omnibus, sua singula jura in eum transferentibus; — hinc potestas illa absoluta est, omnia iusta vel injusta faciens, ipsamque religionem ordinare potest.

Theoria Hobbesiana suprematis potestatis civilis in res omnes, etiam religiosas, tunc quidem regibus favebat, mox vero, post Gallicas turbationes

favit plebi dominatrici, et hodie apud plurimos liberales, praesertim in nostris constitutionalibus statibus, applicatur.

§ 2. RATIONALISMUS CARTESIANUS.

1° *Renatus Cartesius (Descartes)*, Hagae Turonum natus, 1596—1650, philosophiae et theologiae studuit, mathesis et physices peritus fuit. Miles varias regiones perlustravit Italiae, Germaniae, Austriae, Bohemiae; tandem in Bataviam concessit, opera sua scribens; in Suetiam a Regina vocatus, Holmiae obiit. Vir priore media parte suae vitae valde agitatus, altera parte remotus ac solus in seipsum reflectens, animi semper inquieti; scientiis mathematicis et physicis veros profectus contulit, sed in philosophicis plurima perperam somniatus, fere nihil ad veritatem et profectum aliquem serium conducens produxit. — Ejus philosophiae, mox late celebratae, haec summa est :

a) *quoad methodum philosophandi*. Dubio circa existentiam verae certitudinis affectus, nec tamen in scepticismo quiescere volens, fundamentum solidum omnis certitudinis, quale nondum esse inventum censet, inquit. Quod quum extra se nullum cernat, in seipsum reverti statuit, ex reflexione totam quaestionis solutionem evoluturus. Igitur, fide supernaturali religionis, et fidelitate erga patriam, intactis et nullo modo discussis, reliqua omnia exuere, ut dubia vel imo ut falsa habere constituit donec solide clareque probentur; omnia enim argumentis subruere possunt (nempe scepticorum), nec sunt ad evidentiam probata. — Unum tamen invenit de quo, etiam attente reflectens et volens, tamen dubitare non potest : se nimirum dubitare, i. e. cogitare, ac proinde existere. Primum igitur verum et certum, propter nimiam suam claritatem se menti obtrudens tamquam accipiendum, est illud : « cogito, ergo sum; » quae veritas cardo totius philosophicae speculationis, fundamentum inconcussum omnis certitudinis erit, et criterium omnis veritatis. Hinc prima conclusio, « omne id quod clara et distincta idea cognoscatur, hoc esse verum. » — Inde agnoscit seipsum esse « substantiam, » et quidem « immaterialem, » quum possit cogitare, etiamsi deesset omnis extensio, figura, motus, corporeitas; porro « identicum cum sua cogitatione, » quia ex eo dumtaxat jure concludat suam existentiam et essentiam, quod cogitet, neque ulterius quidquam affirmare de se possit. Hinc etiam primum cognitum est propria sua existentia. — Ex eodem principio ideae clarae deducit Dei existentiam; nam reflectens in se invenit illam ideam claram Dei, ex cujus analysi eruitur nota essentialis existentiae, et nota infinitatis quae quum ex causa finita procedere non possit, debuit ab ipso infinito nobis esse indita; sed et ipsa nostra existentia non potuit esse a se, sed debuit ab auctore primo esse causata. — Postea ex veracitate Dei, creatoris nostrae naturae, deducit veracitatem nostrarum facultatum, ac proinde veritatem existentiae mundi extra nos; consequenter omnem certitudinem

nostrarum cognitionum quoties per ideas claras et distinctas habentur. — [Quantae hic petitiones principii et contradictiones sint, cfr. logic.].

b) *quoad ideologiam*. Cognitionem sensitivam soli animae tribuit, nec tamen ex ea censet posse oriri cognitionem humanam intellectualem, sed debet haec esse innata. Distinguit autem Cartesius: *ideas adventitias* quae per sensuum experientiam adveniunt, quae solas res corporeas repraesentant, suntque singulares, ac si a singularitate abstrahuntur, non tamen sunt nisi collectivae, minime universales; — *ideas factitias*, quas ope imaginationis nos ipsi componimus; — et *ideas innatas*, quae ab initio nativitate in nostro intellectu existunt, quae Deum, et nos ipsos, et omnes notiones aeternas, necessarias, immutabiles essentias repraesentant: naturas, ens, veritatem, extensionem, motum, etc... Porro quid istae ideae innatae sint, explicat aliquando, eas esse entia quaedam in mente nostra actu existentia, quae percipiuntur; aliquando vero, objectionibus pressus explicat, eas non esse actualia quaedam a mente distincta entia, sed ipsum intellectum prout capacem qui eas exprimat ex propria sua essentia, non ex concursu sensuum. — Objective veras esse ideas innatas supponendum est, explicandumque ex veracis Dei ordinatione ut objectis ideae correspondeant, neque sensualis experientia est aliud quam causa occasionalis. [Nihil mirum quod illam explicationem mox Cartesiani deseruerint, et ab idealismo se defendere non potuerint!] — Ideas objectis per iudicium applicamus, qui actus voluntatis est assentientis vel dissentientis; neque iudicium prudens et certum est nisi idea sit clara distincta, ac proinde error semper voluntarius est. — Atque haec differentia inter hominem et Deum est, quod hominis voluntas debet sub ductu rationis agere, in Deo vero intellectus verum vel falsum, possibile vel impossibile, bonum vel malum esse aliquod objectum percipit pro liberae voluntatis omnipotentis nutu.

c) *quoad Deum*. Ex definitione substantiae sua: «res quae ita existit ut nulla alia re indigeat ad existendum,» concludit unicam esse vere substantiam, Deum, reliqua non nisi analogice substantias dici. Deus est infinitus, eumque conceptu infiniti positivo immediate intuemur, non tamen comprehendimus. Deus est simplicissimus intellectus et voluntas, substantia sine ulla modificatione.

d) *quoad mundum*. Substantia cognoscitur ex attributis, sed quaevis substantia non nisi unum attributum essenziale habet. Substantia corporea in extensione locali consistit. — In explicanda rerum natura rejicit causas finales, solas efficientes admittit; formas substantiales eliminat, atomos solas earumque vortices admittit; ipsa etiam animalia nullum habent principium vitale, sed sunt mera automata. Tota corporum activitas non a vi naturis insita procedit, sed explicari debet per motum a Deo impressum et conservatum. — Vacuum est impossibile, spatium ibi dumtaxat esse potest ubi est corpus, et est infinitum, ergo et mundus.

e) *quoad animam*. Anima est substantia simpliciter spiritualis, facultates

spirituales tantum possidens, cujus essentia est ipsa cogitatio actualis; — vita vegetativa et sensitiva in homine non sunt ab anima, sed a solo corpore de se ad eas apto, quin admittendae sint speciales potentiae. — Corpus naturalis machina est, in qua sensationes et motus ex solo calore cum spiritibus animalibus, sanguinis parte tenuissima, oriuntur. — Unio animae et corporis est ex mero influxu mutuo; sedes animae est glandula in medio cerebro. — Voluntatis libertatem dicit quidem libertatem indifferentiae, sed distinguit indifferentiam negativam (in qua est voluntas dum nulla sunt motiva quae eam allicere possent), et positivam (facultatem voluntatis ut pro motivo eligat unum prae altero bono). Prior soli Deo independentissimo competit, sola posterior est hominis libertas. At eam intelligit Cartesius meram libertatem a coactione, nam intus necessitatur voluntas ab objecto proposito; ac si quando usu videatur amplior electio, id ex eo solo venit quod sibi alterum motivum proponit, alterum vero oppositum removet non proponendum.

f) *quoad ethicam*. Pauca hic, neque ex professo, docet. Summum hominis bonum et beatitudo est virtus et constans voluntas recte agendi, et quies animi. Officium igitur hominis est ut eam assequi conetur. Summa virtus est amor Dei quia in ea summa pax animi invenitur.

Contra philosophiam cartesianam statim initio plurimi reclamarunt, quos inter eminuerunt Gassendi, Huet episcopus Abrincensis, Bourdin et Daniel Jesuitae; pluries a Sorbona (Parisiensi Universitate), et anno 1673 Romae interdicta fuit; attamen diversimode modificata in diversis regionibus, praesertim in Gallia et Belgio, paulatim propagata fuit, et plus aequo laudata. — Cartesianam philosophiam est essentialiter opposita sensualismo, qui suo tempore potissimum in Anglia vigeat; sicut enim Bacon philosophos ad observationem factorum externorum provocabat, ita Cartesius ad internorum factorum observationem. Inter praecipuos Cartesianismi sectatores fuerunt *Antonius Arnoldus* et ceteri passim *Janseniani*.

2° *Arnoldus Geulinx*, Antwerpiensis, 1625—1669, docuit Lovanii, deinde Lugduni Batavorum; ita prosequitur Cartesii principia ut etiam omne commercium inter animam et corpus neget, quia «quod nescis quomodo fiat, id non facis!» Omnia ergo a solo Deo in animo vel in corpore fiunt harmonice cum iis quae vicissim in corpore vel in anima existunt. — Praeformatur ergo occasionalismus in ista doctrina.

3° *Baruch Spinoza*, Amstelodamensis, 1632—1677; Judaeus, mox dubiis agitatus, baptisatus, mathesi et philosophiae se dedit. Cartesianis ex principiiis deducit suum pantheismum. Plura scripsit opera, inter quae: «Renati Cartesii principia philosophiae more geometrico demonstrata;» et «Ethica ordine geometrico demonstrata. — In hoc suo praecipuo opere posthumo, singulis partibus aliquot definitiones praemittit, deinde axiomata, postea propositiones ordine alias ex aliis deducit. — Sed definitiones ita enunciat ut arbitrarie confectae jam praesupponant vel contineant eas propositiones quas exinde evolvat; item axiomata gratuita statuit. — Quoad rem ipsam vero ita

aberrat in suo pantheismo ut, si verborum et enunciationum apparatus pseudo-scientificum demas, multa vix non identica cum illis invenias, quae superius in vedanticis Indorum systematibus exposuimus. Ad extremas consequentias logicas omnia provehit; ubique non nisi unicam substantiam inconsciam, sine libertate, fato actam agnoscit. — In historiam philosophicae evolutionis humanae parum vel nihil influit, qui praeter immediatos sectatores paucos, nullum alium nactus est discipulum sed contradictores plurimos.

§ 3. CONATUS REAGENTIS PLATONISMI, MYSTICISMI, SCEPTICISMI.

Contra novitates supradictas insurrexerunt nonnulli tum in Anglia, tum in Gallia, tum in Germania; eo tamen successu ut parum vel nihil conficerent, nulloque modo novitates impedirent; neque ipsi ullam philosophiae profectum attulerunt. Horum praecipui fuerunt:

1° In Anglia: *Samuel Parker*, † 1688, episcopus Oxoniensis, platonista, et alii pauci et parum noti.

2° In Gallia mystici: *Blasius Pascal*, 1623—1662, Claromontanus, Jansenianus, contra Cartesium contendit dogmatismum rationi repugnare; simul tamen contra Pyrrhonistas tenet scepticismum naturae adversari; verum igitur cognitionis nostrae, ac unicum certitudinis fontem esse revelationem. — Hunc praeter Jansenianos fere nemo sequitur.

3° In Gallia sceptici: a) *Daniel Huet*, 1630—1721, Abrincensis episcopus; solam revelationem admittit.

b) *Petrus Bayle*, Carlatensis, 1647—1706, Calvinista, dein Catholicus, sed mox relapsus calvinista, peripatetismum admisit, et reliquit, Cartesianismum amplexus est, attamen brevi, omnia deseruit et scepticus irrisor factus est, operum Michaelis Montaigne assiduus lector. Multa scripsit, quorum praecipuum est magnum «*Dictionarium historicum criticum.*» Positivum quid ab auctore traditum in eo opere nihil invenitur; sed aliena quaeque critice inspicit, contradictiones in omnibus extollere satagit; idque maxime efficere gaudet ut inter revelationem et rationem inconciliabilia conetur ostendere, apparenti quidem sub praetextu ut revelationis necessitatem, insufficientiam rationis exponat, re tamen vera ex animo erga revelationem infenso, quem etiam non raro manifestat. — Multum contulit iste auctor ad introducendam apud Gallos rei religiosae oblivionem, et illam miseram animorum levitatem quam eorum nationi nunc passim aliae gentes exprobrant.

4° In Germania mystici: a) *Angelus Silesius*, 1624—1677, mysticum pantheismum non vitat.

b) *Hieronymus Hirnhaimb*, † 1679, abbas monasterii Sion, Pragae, solas divinas revelationes vel illuminationes privatas tanquam verum certitudinis fontem admittit.

ARTICULUS 3.

Philosophia Scholastica.

1° Medias inter omnes istas reformationes et novitatum deliria, etiam philosophiae scholasticae impetum novum et robor videmus additum. Cujus rei causae enumerari variae possunt:

a) ipsae irrisiones novatorum et pauca quae isti vera vitia scholasticis vituperantes objiciebant: defectus veri progressus, steriles et inutiles subtilitatum discussiones nominalium et realium, barbara styli negligentia; quae omnia catholici fundata esse animadvertentes, mox emendare conati sunt;

b) ortus protestantismi, et paulo post, jansenianismi; quo plurimi maximeque varii errores sparsi sunt, contra vim ratiocinii et auctoritatem testimonii, contra existentiam ordinis supernaturalis, vel contra ejusdem distinctionem ab ordine naturali, contra gratiae divinae naturam, distributionem, necessitatem, contra humanae libertatis existentiam, naturam, valorem, meritum; in eas nempe partes elucidandas et defendendas totus catholicorum nisus dirigendus fuit; nova materia novis studiis metaphysicis excitementum;

c) reformatio vera et sapiens a Concilio Tridentino inchoata, tum circa mores, tum circa dogmatum expositionem, confirmationem, defensionem;

d) multorum ad errores recentes defectiones et rebelliones, tum in variis catholicis universitatibus, tum in variis religiosis ordinibus; unde reactio apud bonos ad fortiora studia;

e) aliquantula etiam aemulatio inter varios ordines religiosos, scholas, universitates; maxime vero quando Societas Jesu, tunc recens nata, magnae notae doctores produxit, atque novum systema conciliationis inter divinam Providentiam Scientiamque et humanam libertatem, per scientiae mediae interventum, proposuit. Eam reliquorum plerique initio insimulabant novitatis et erroris.

2° Characteristica hujus renovationis nota fuit, quod minus jam Petri Lombardi scripta, sed potius universaliter Sⁱ Thomae Aquinatis Summam, pro praelectionum auctore et pro commentariorum fundo assumpserunt; cui, exceptis Scotistis, reliqui omnes adhaerere se profitebantur. — Istorum plurimorum celebriores exhibeamus.

3° *Franciscus de Vittoria*, Cantaber, 1480—1566, Dominicanus, studuit Parisiis, docuit Salmanticae. Is primus novum perfectionis motum excitavit. Ejus discipuli fuerunt praecipui Hispaniae doctores de quibus mox dicendum, qui et late extra Hispaniam nova studia promoverunt.

4° *Dominicus Soto*, Segoviensis, † 1560, Dominicanus, praecipuus Francisci de Vittoria discipulus; Theologus in Concilio Tridentino, Carolo V Caesari a confessionibus, scriptis famosus, multum in coevos catholicos egit.

5° Tum coeperunt Jesuitae docere et scribere. Quorum enumerare sufficit praecipuos:

a) *Franciscus Toletus*, Cordubensis, 1532—1596; Dominici Soto discipulus, docuit Salmanticae; postea Soc. Jes. ingressus, Romae docuit philosophiam, deinde theologiam;

b) *Gabriel Vasquez*, Bellomontanus, 1551—1604, Toleti discipulus, docuit Compluti, et alibi, ac tandem Romae; scripsit « Commentarium in Summam Sⁱ Thomae, » qui inter optimos habetur, et « Disquisitiones metaphysicas. »

c) *Petrus Fonseca*, Lusitanus, 1528—1599, primus docuit Scientiam mediam. Simul cum aliis in *Collegio Conimbricensi*, famosos commentarios in universam philosophiam Aristotelis edidit, qui inter optimos numerantur.

d) *Ludovicus Molina*, Conchensis Hispanus, 1535—1600, discipulus Petri Fonseca, cujus nomine Molinistae dicuntur scientiam mediam defendentes.

e) *Leonardus Lessius*, Brechtensis prope Antwerpiam, 1554—1623, in controversiis circa scientiam mediam et auxilia gratiae praeclarus; scripsit insuper: « De justitia et jure »; « De perfectionibus moribusque divinis, » etc.

f) *Franciscus Suarez*, Granatensis, 1548—1617, *Doctor Eximius*, docuit Segoviae, Romae, Compluti, Salmanticae, Conimbricae; vocatus Romam obiit Olyssipone, vir non sanctitate vitae minus conspicuus, quam scientiae et eruditionis amplitudine praecellens. Praeter magnos commentarios theologicos in Summam Sⁱ Thomae, aliaque opera, scripsit « Disputationes metaphysicas. »

6^o Ordo Sⁱ Dominici tunc doctrinae Sⁱ Thomae inhaerere perrexit, idque ita ut stricte explicarent eam, neque ullo modo admittere vellent Molinistarum explicandi modum, contrariamque explicationem expoliverint, inducta tunc theoria *praedeterminationis physicae*. Hanc ex testimoniis antiquitatis potius quam ex rationibus intrinsicis fulcire satagebant; praesertim textus Sⁱ Pauli, Sⁱ Augustini, et Sⁱ Thomae afferebant, eosque et multos et prima fronte evidentes, sed breves plerumque et extra contextam orationem detractos. — Contra eos Jesuitae suam sententiam ex rationibus intrinsicis potius probare conabantur, circa testimonia vero defensiva potius se gerebant, ostendentes ex contextu non eam doceri sententiam quam adversarii interpretabantur. Ast id conficere non poterant nisi completas ac proinde prolixas analyses litterarias proponendo scriptorum Pauli, Augustini, Thomae, cum circumstantiis finis et temporis et personarum. — Inde longae et implicatae illae famosae disputationes de auxiliis gratiae et praedestinatione, quae tunc ardentissimae, nunquam sopitae et compositae, etiamnum plene sedatae non sunt. — Exinde etiam mos invaluit *Thomistarum* nomine non jam eos omnes appellandi qui Sⁱ Thomae doctrinis addicti essent, quibus inter scholasticos *Scotistae*, et *Nominales* opponebantur; sed illi soli sibi *Thomistarum* nomen reservaverunt qui Dominicanorum praedeterminantium strictam sententiam tenerent; Jesuitarum vero, etsi omnes S^m Thomam tanquam proprium auctorem explicandum, magistrumque sequendum habebant, alii *Molinistae*, alii paulo declinantes *Suareziani* seu *congruistae* dicti sunt. — Porro Dominicani hujus saeculi praestantiores philosophi enumerantur praeter inchoatores Franciscum de Vittoria, et Dominicum Soto, superius jam laudatos:

a) *Dominicus Bannex*, † 1604, commentator primae partis Sⁱ Thomae, docuit Salmanticae, virtute et scientia pariter illustris; primus Molinam impugnavit.

b) *Bartholomaeus Medina*, † 1581, commentator secundae et tertiae partium Sⁱ Thomae; prolusor probabilismi dicitur, eo quod sententiam antiquam et veram ea protulit forma, qua postea, ortis controversiis, usi sunt probabilistae.

c) *Joannes a S^o Thoma*, Olyssiponensis, 1589—1644, docuit Compluti et Salmanticae; praeter alia, scripsit « *Cursum completum philosophicum.* »

d) *Joannes Baptista Gonet*, Biterranus in Occitania, † 1681, docuit Burdigalae, magna fama thomismum propugnans.

e) *Antonius Goudin*, Lemovicensis, 1639—1695, docuit Avenione et Parisiis, praecipuus sui temporis thomista.

f) *Xanter Mariales*, Venetus, 1580—1660, doctrina et virtute insignis, ob defensionem Rom. Pont. auctoritatis in exilium pulsus.

7^o Ordo Carmelitarum Thomistas Dominicanos arete sequitur; ejus praecipui sunt:

a) *Blasius a S. Conceptione*, unus ex illustrissimis in Collegio Complutensi.

b) Auctores « *Cursus Salmanticensis* in Summam Sⁱ Thomae. »

8^o Ordo Cisterciensium Thomistis plerumque adhaeret. Eminent:

a) *Marsilius Vasquez*, † 1602, docuit Florentiae et Ferrariae, scripsit Commentarios in universum Aristotelem.

b) *Angelus Manriquez*, Burgensis, 1577—1649, *Atlas Salmanticensis Academiae*, docuit Salmanticae in Cathedra Scoti, sed mox in Cathedra Thomae Aquinatis, postea episcopus Pacensis.

c) *Bartholomaeus Gomez*, docuit in Collegio Mayrensi, scripsit de Logica, Physica, Metaphysica.

9^o Ordo Benedictinorum etiam suos habuit, quorum maximus *Joseph Saenz de Aguirre*, docuit Salmanticae, scripsit: « *Philosophiam ad mentem Aristotelis et Divi Thomae Aquinatis.* »

10^o Interea vero ordo Franciscanorum Scotismum suum retinet, atque in Commentariis in Sententias Petri Lombardi exponunt ac defendunt. Alii tamen, praecipue apud Capuccinos, ad Scotum quidem inclinant, magis autem S. Bonaventuram sequuntur. Illustres fuerunt multi apud varias gentes, plures apud Hispanos et Italos.

11^o Universitates insuper variae Thomismum propugnaverunt:

a) Lovaniensis, et b) Duacena, ubi *Guillelmus Estius*, Gorcumensis, 1542—1613; — *Joannes Malderus*, Leeuwensis, prope Bruxellas, 1561—1633; — *Joannes Wiggers*, Diestemensis, 1571—1639; — *Franciscus Silvius*, Branien-sis, 1581—1649.

c) Coloniensis, cujus thesium propugnandarum collectio pulchrum thomisticae doctrinae compendium exhibet.

d) Salisburgensis per totam meridionalem Germaniam multum influens, ubi praecipuus fuit *Augustinus Redding*, † 1692.

SECTIO 3.

DE EVOLUTIONE PHILOSOPHIAE NOVAE USQUE AD EXITUM SAECULI XVIII.

Post medium saeculum XVII usque ad exitum saeculi XVIII, progressae sunt recentioris philosophiae diversae scholae in suam quaeque directionem, ad extrema usque consecutaria, et ad ultimam confusionem et abyssum perturbationis universalis. Et sicut expectandum erat, ita factum est, ut ex omnimodis erroribus in scepticismum pleraeque scholae abirent. Scholasticae vero studium et aestimatio imminuitur ac fere perit. Sint igitur.

Articulus 1. De empirismo.

Articulus 2. De rationalismo.

Articulus 3. De philosophia Christiana.

ARTICULUS 1.

De empirismo.

Inter tantam opinandi diversitatem tamque effrenam licentiam, non facile fuerit ordine aliquo systematum connexionem ostendere, vel auctorum opiniones in classes aliquas digerere. Sit igitur empiristarum divisio aliqua ad expositionis facilitatem, artificialis potius quam naturalis ex rerum ordine. Notabis autem empirismum in Anglia potissimum et Gallia dominatum esse :

- § 1. Schola sensualistica.
- § 2. Schola practica.
- § 3. Schola deistica.
- § 4. Schola materialistica.
- § 5. Schola sceptica.

§ 1. SCHOLA SENSUALISTICA.

1° *Joannes Locke*, Wringtoniensis, 1632—1704, Oxoniae studuit philosophiae et medicinae; vixit Berolini et in Batavia, comitis Shaftesburgensis educator; tandem in Anglia redux. — Is Baconem et Cartesium multum legit : hunc refutare, illum sequi et complere satagit :

a) *de origine idearum*. Refutatis ideis innatis, et systemate Cartesiano, concludit animam nostram initio esse tabulam rasam, in qua omnia ex experientia venire debeant, per sensationes externas, quas ideas simplices vocat, et per sensationes internas, quas ideas reflexas vocat ; — ex his conjunctis et abstractis fiunt ideae compositae. Istae omnes revocari possunt ad ideas modorum, substantiae, et relationis. — *Modi* exhibent aliquid non per se existens, sed rei alius modificationes in spatio, vel in tempore, vel in nu-

mero. — *Substantia* exhibet substratum quod ex consuetudine nostra gratis praesupponimus, in quo simul inhaereant modi simul existentes. — *Relationes* exhibent varios nostros considerandi modos circa eandem rem ; — causalitas gratis cogitatur ob constantem consecutionem mere historicam eventuum.

b) *de sermone*. Universalia sunt mera nomina communia et figmenta mentis nostrae. Omnis definitio est tantum nominalis ; quid enim sit essentia rerum nescimus.

c) *de cognitione veritatis*. Distinguit cognitionem sensualem, de rebus externis ; intuitivam, de interno statu cognoscentis ; et demonstrationem, v. c. existentiae Dei. — Distinguit inter cognitionis veritatem, ob identatem idearum in iudicio ; et cognitionis realitatem, ob conformitatem cum rebus. Unde ideae simplices semper habent realitatem ; notiones communes vero et principia universalis carent objectiva realitate. — Vi suorum principiorum debuisset cognitiones nostras ad ordinem experientiae circumscribere ; at sibi non constans plura disserit de Deo, de anima : — probat Dei existentiam argumento cosmologico ; infinitatem explicat per additionem omnium perfectionum ; — animam humanam esse immaterialem et spiritualem non negat, sed censet eam propositionem demonstrari non posse, cum possibile sit materiae a Deo tribui facultatem cogitandi ; — bonum hominis est felicitas ex voluptate sensuali et spiritali hausta ; bonum morale consistit in conformitate cum lege divina, civili... ; omnipotentiam auctoritatis civilis rejicit ; — ratio debet iudicare de veritate et sensu revelationis.

2° *Benedictus Hieronymus Feijoo*, Casdemirius, 1676—1764 ; unus ex primis apud Hispanos Baconem secutus, observationi et experientiae externae fere unice insistere coepit, notionesque ontologicas et metaphysicas ac methodum deductionis parvi pendere ; — docet prima corporum principia esse elementa simplicia, ex quibus inextensis extensio oriatur ; — beluas ratiocinio pollere, unde iis cum homine communis sit definitio : « animal rationale ; » — dari in homine peculiarem sensum a reliquis revera distinctum, quo tempus sentit.

3° *Stephanus Bonnot de Condillac*, Gratianopolitanus, 1715—1780, clericus, vixit Parisiis, amicus Rousseau, Diderot, Voltaire, etc. — Primo sectatus est doctrinam Lockii ; postea vero eam ita modificavit ut non jam duos cognitionis fontes, sensationem et reflexionem, admitteret, sed unicum tantum : sensationem ipsam transformandam. Atque ita animam concludit esse plane passivam, non activam, in cognitione qualibet. — Suis principiis inconstans immaterialitatem animae, et impossibilitatem ut materia cogitet, admittit.

4° *Carolus Bonnet*, Genebensis, 1720—1793, praecedente acutius et constantius sensualismum exponit, evolvitque in materialismum et determinismum, quo etiam voluntatis operationes non liberae, sed a nervorum organisatione et actione plene dependentes sint.

§ 2. SCHOLA PRACTICA.

1° *Antonius Ashley Cooper*, comes Shaftesburgensis, 1671—1713, Joannis Locke discipulus et amicus, principia empirismi in ethica evoluit. Haec fere asserit: a) Homo habet stimulos sociales seu sympathicos, qui tendunt ad bonum commune; et stimulos egoisticos seu ideopathicos, qui tendunt ad bonum individui; ac demum stimulos innaturales qui illis duobus opponuntur; — b) stimuli innaturales ex sua natura sunt mali; ceteri possunt vel boni vel mali esse, si enim stimulus ideopathicus superat socialem fit malus; et vicissim; — c) moralitas consistit in harmonia stimulorum socialium et egoisticorum, et inde etiam beatitudo hominis exurgit. Illa harmonia comparatur ope cujusdam moralis instinctus vel sensus; — d) moralitas est a religione independens, imo ei religio nocere potest.

2° *Samuel Clarke*, Norwichensis, 1673—1729, protestans praedicator, Lockii et Newtonis discipulus, Cartesium multum legit; non novum fecit, sed moderata tuitus est contra sui temporis excessus. Honestatis essentiam reponit in observatione relationum essentialium rerum, qua fiat ut totus ordo a creatore volitus servetur.

3° *Franciscus Hutcheson*, Hibernus, 1694—1747, docuit Glasgaviae. Distinguit stimulum concupiscentiae seu amoris proprii, et benevolentiae seu boni communis. In homine est quidam sensus moralis, criterium judicandi de subordinatione stimuli concupiscentiae et imperio stimuli benevolentiae. Ex illa harmonia oriuntur tum beatitudo individuorum et generis humani, tum omnia officia ergo Deum et homines. — Primus famosae *scholae scoticae* fundator (quam cave ne confundas cum scholasticorum *Scotistarum* schola).

4° *Adam Smith*, Kurkaldiensis, 1724—1790, Hutchesonis discipulus, docuit Glasgaviae. Ponit principium moralitatis in sympathia, i. e. in hominis naturali inclinatione compatiendi et consentiendi cum aliis. Si enim aliorum actiones in his circumstantiis positae approbare potes, bonae sunt, sin eas reprobare debes, malae sunt; unde lex moralitatis: «ita age ut alii tecum sympathiam sentire possint,» i. e. tuas actiones approbare.

§ 3. SCHOLA DEISTICA.

1° In Anglia evolutum fuit systema Lockiani empirismi in ulteriorem negationem omnis supernaturalis ordinis. Cujus rei causae fuerunt: Episcopalis Ecclesiae tyrannica oppressio dissidentium, et sectarum mox plurimarum orientium dissensiones; unde reactio, et libertas effrena cogitandi. — Praecipui fuerunt aliqui protestantes ministri, negantes mysteria et miracula, et ipsam providentiam Dei.

2° In Gallia empirismus Lockii simul cum scepticismo et irrisionibus Petri Bayle evolutus atque ad extrema perductus fuit. Praecipui fuerunt:

a) *Franciscus Arouet Voltaire*, Parisiensis, 1694—1778, moribus corruptus, ob aliqua carmina in carcerem, deinde in exilium missus, in Anglia cum Deistis Toland, Tindal, Bolingbroke, amice conversatus, in Borussia cum Frederico II rege, postea in Galliae variis partibus vixit. — Is impiissimus irrisor omnis religionis et cultus divini, vir levissimi ingenii, solam Dei otiosi existentiam esse demonstrabilem admittit; de animae natura, spiritualitate, immortalitate dubitat; — omnem ethicam ad solum cultum rationis reducit, i. e. ad aliqualem philanthropiae sensum, libertatem omnimodam, ab omni lege divina solutam, et contemptum rei supernaturalis cujuscumque.

b) *Carolus de Montesquieu*, Burdigalensis, 1689—1755, varia opera levitatis plena scripsit; sed maxime effecit libro «de spiritu legum,» quo primus theoriam et ideam regiminis moderni repraesentativi et status constitutionalis exponit.

c) *Joannes Jacobus Rousseau*, Genebensis, 1712—1778, morum corruptela famosus; notus sua expositione religionis naturalis et educationis sine omni religione; auctor celebris libri et systematis «contractus socialis» (cfr. Ethic.).

§ 4. SCHOLA MATERIALISTICA.

Ex empirismo ad sensualismum et deismum logice delabendum est, indeque ad materialismum, qui negando omne principium immateriale, simul omnem religionem et virtutem destruit, atque omne vinculum societatis civilis et domesticae solvit. Quod philosophandi genus speculum est saeculi vitii corrupti. Eo plurimi in Gallia deciderunt. Scriptores praecipui fuerunt:

a) *Dionysius Diderot*, Langrensis, 1713—1784, — b) *Joannes d'Alembert*, Parisiensis, spurius infans derelictus, 1717—1783; mathesibus praecipue incubuit; — hi duo praecipui collectores et editores famosi «dictionarii encyclopaedici» fuerunt.

c) *Paulus Lagrange de Holbach*, Hildesheimiensis, vixit et obiit Parisiis, 1723—1789, auctor vel saltem instigator ac patronus operis: «systema naturae,» quo extrema omnia consecutaria materialismi nude ac sine ullo pudore proponuntur.

§ 5. SCHOLA SCEPTICA.

1° *Georgius Berkeley*, Kilkrinensis Hibernus, 1684—1753; studuit theologiae Dublinii, varias Europae regiones peragravit, tandem episcopus anglicanus Cloynensis in Hibernia. — Ex empirismo Lockii deducit negationem omnis mundi corporei, solos spiritus admittit; quia propria nostra cogitatio intellectualis nobis immediate quidem evidens est; corporum vero existentia conclusione cognoscitur; falsa autem est haec conclusio, nam nec ipsa evidens est, et refutatur ex impossibilitate intelligendi concursum heterogenearum substantiarum, corporum videlicet et spirituum; ergo sensibilis

mundus nihil est nisi nostrarum idearum subjectiva successio, quarum et causa efficiens et objectivus valor Deus ipse est.

2° *David Hume*, Edinburgensis, 1711—1776, vixit pluries in Gallia et in Anglia. — Principia empirismi ita evoluit ut omnem objectivam realitatem cognitioni humanae abneget. Etenim *a)* circumscritbit ambitum cognitionis ad solas experientiae perceptiones. Perceptiones nostrae sunt vel impressiones, i. e. sensationes ejus quod videmus, audimus, tangimus, amamus, concupiscimus..., vel ideae quae oriuntur ex reflexione ad impressiones. Unde ideae tantum valent quantum impressiones, vel imo sunt iis debiliores, sunt enim imagines perceptionum. — *b)* Tota mentis activitas circa perceptiones versatur, quatenus eas varie combinare potest. Patet universalia non nisi mentis figmentum esse. — *c)* Cognitionis quae est combinatio idearum refertur vel ad ipsas ideas vel ad facta; unde oriuntur judicia analytica, quibus mens ex una idea derivat alteram, operatione mentali, independenter ab omni objectiva realitate; et judicia synthetica, ubi praedicatum non continetur in subjecto, sed ei ut factum contingit. Ergo judicia synthetica eatenus vera sunt quatenus nituntur principio causalitatis; hoc vero est illusorium, quia ejus veritas neque a priori elucet, cum effectus omnino differat a causa, nec proinde possit ex notione causae derivari; neque a posteriori ex experientia probatur, cum experientia meram successione phaenomenorum referat, minime vero eorum connexionem testetur. Haec connexio in mente fit ex consuetudine et praedicio, futura praeteritis esse similia; sed quid a parte rei, nihil scimus. — *d)* Ergo notio Dei, et substantiae tum spiritualis tum corporeae omni valore objectivo destituitur. Ut credamus res mundanas existere ducimur instinctu, quem vocat fidem; haec autem non est actus mentis sed sensualitatis, quae per vividam impressionem nos impellit ut sensationes referamus ad objecta externa. — Multa ex eo Kantius mox hausit.

ARTICULUS 2.

De Rationalismo.

1° *Thomas Reid*, Aberdeenensis, 1710—1796, philosophiam docuit Aberdeanae, dein Glasgoviae; praecipuus ipse scholae Scoticae; contra Scepticismum Humii reagens, ipsum Lockii et Baconis primum principium aggreditur, nihil nisi ex experientia notum esse; contenditque primas hominum cognitiones, easque certissimas, esse ex «sensu naturae communi,» qui instinctu, caeco quidem, sed naturali et infallibili, ad primas plurimas veritates admittendas inclinatur. Hujus autem infallibilitas ex eo constat, quod a Deo veraci et infallibili auctore naturae inditus sit. — Ex hoc sensu communi omnibus hominibus certa est existentia rerum mundanarum corporearum, et proprii sui corporis, et Dei creatoris gubernatoris. — Hujus sensus communis fundamenta veracitatis scrutari et dijudicare non est philosophiae jus, non enim

ex philosophicis argumentis vel rationibus ea dependet. — Hunc sequuntur plerique in schola scotica.

2° *Godifredus Guillelmus Leibnitz*, Lipzianus, 1646—1716; professoris philosophiae moralis filius, adolescens praecocis scientiae, vir eximii et amplissimi ingenii, vixit apud varios tum Germaniae tum ceterae Europae reges et principes honoratus consiliarius. — Is miram quamdam omnium sententiarum inter se contrariarum harmoniam et concordiam adducere intendit: speculationem aristotelico-scholasticam cum recentiorum placitis conciliare, speculationem cum mathematicis, naturalibus et historicis inquisitionibus, scientias cum christiana fide, christianas sectas haereticas varias tum inter se, tum cum catholica veritate componere in unitatem satagit. Quod impossibile opus conaminibus pluribus nunquam tamen ad felicem exitum perducere potuit. Ejus enim ideologia ad gratuito praeconceptas notiones innatas ducit, ejus monadologia ad falsum substantiae conceptum atque inde fluentes consequentias, ejus theologia ad optimismum, ejus ethica ad determinismum, religionis philosophia ad rationalismum exaggeratum. — Hinc factum est, ut tanti ingenii universalitas multas quidem quaestiones agitaverit, multas veritates attigerit, coaevis suis multo praecellentior fuerit; nullum tamen systema philosophicum relinquere potuerit quod esset veri progressus atque evolutionis capax, vere syntheticum ac posteritati utile, sed curiosum potius specimen mixturae plurimarum veritatum sublimium, simul et incoherentium contradictionum. Ceterum systema scholasticum multum admiratur, ex eoque multa sibi assumit.

Plurimus fuit effectus in Germania per totum hoc saeculum ex scriptis Leibnitzii productus. Isque praecipuus dici potest, quod nec Anglorum et Gallorum empirismus et materialismus, nec Gallorum et Belgarum Cartesianus rationalismus idealisticus in Germaniam propagari potuerunt; sed altior et utriusque aliquid concedens, neutri tamen ad extrema obsecundans rationalismus perseveravit. At vero tam firmus non erat, ut arcere posset invadentem naturalismum popularem, nec Kantii idealismum transcendentalem, de quibus cfr. infra.

3° *Christianus Wolff*, Breslaviensis, 1679—1752, docuit Hallae, Marburgi, et iterum Hallae. — Is vere propriam sibi philosophiam non habet; sed Leibnitzii placita assumpsit, aliquibus excessibus purgavit, cum Aristotelismo magis conciliavit, nonnulla argumenta vel addidit vel correxit. Maximum ejus meritum est, quod omnia illa ad corpus doctrinae systematicum unum reduxit; primus philosophicarum rerum partitionem hodie satis vulgatam induxit, in logicam, ontologiam, cosmologiam, psychologiam, theodicaeam, ethicam, jus naturale, politicam. — In expositione abutitur methodo mathematica, et saepe diffusus est nimis.

4° Contra philosophiam Leibnitzii et Wolffii, insurrexerunt nonnulli severiores lutheranae theologiae sectatores, calumniantes atheismum, spinozismum, impietatem. — Multi tamen fuere discipuli tum Leibnitzii, tum Wolffii, per totam Germaniam.

5° Propagatus tamen est hoc saeculo in Germania etiam Deismus aliquis, ex Anglorum ac praesertim Gallorum operibus haustus. Tunc enim fere omnes sibi honori reputabant Gallos quovis modo imitari ac sequi, idque vocabant «illuminationem populi.» Unde factum est ut brevi tota protestantium theologia in incredulitatem et effrenam opinandi libertatem abiret. Ast nihilominus non ad extrema sensualistarum ac materialistarum Gallorum placita pervenerunt Germani, tum ob ingeniorum et indolam differentiam, tum praecipue ob dominantem Leibnitzii et Wolffii influxum.—Illuminantium praeclariorum fuerunt :

a) *Hermann Samuel Reimarus*, Hamburgensis, 1694—1768; docuit Hamburgi philosophiam. In operibus nihil novi, sed Anglorum Deismum ad Germanorum captum exponit et evolvit.

b) *Gottholdus Ephraim Lessing*, Camenzinus, 1729—1781, poesi, historiae, philosophiae, et protestanticae theologiae pariter deditus, multas Germaniae urbes invisit, multa popularia scripsit. — Ex Leibnitzio et Helvetio multa deprompsit, plura vero ex Bayle et Spinoza.

c) *Joannes Gottifredus Herder*, Morunganus, 1744—1803, deismum eoque perducit ut totaliter sejuncta sint dogmata a religione: dogmata enim nulla esse, et gratuito affirmari; religionem vero consistere in pietatis sensu erga Deum, sine ulla practica obligatione agendi vel credendi; et ita in pietismum abit.

6° *Isaac Cardoso*, illustris apud Hispanos medicus et philosophus, scripsit «Philosophiam liberam» opus plenum eruditionis quoad naturales scientias medicas; quoad philosophica vero sequitur plerumque cartesianum rationalismum, minus tamen audacter, retinetque nonnulla ex scholasticis.

ARTICULUS 3.

De philosophia Christiana.

Medias inter omnes illas empirismi et rationalismi divagationes, non tamen hoc saeculo defuerunt etiam christianae philosophiae cultores. At hi, sui aevi torrentem non omnino vitare valentes, aliquid recentibus plerumque concedebant, suntque illi tum apud protestantes tum apud catholicos varii.

§ 1. Schola Cartesiana.

§ 2. Schola Platonica.

§ 3. Schola Ontologistica.

§ 4. Scholastica.

§ 1. SCHOLA CARTESIANA.

In Gallia catholici ex Cartesii placitis non pauca sibi assumpserunt, quae cum religionis dogmatibus non omnino inconciliabilia videbantur. Horum praecipui fuerunt :

a) *Jacobus Benignus Bossuet*, Divionensis, 1627—1704, Episcopus Meldensis, orator sublimis notissimus; apud Catholicos in Gallia complurimum operibus suis effecit.

b) *Franciscus de Salignac de la Mothe Fénelon*, Petragoricensis, 1650—1715, Archiepiscopus Cameracensis; demonstrat existentiam Dei argumento Cartesii.

c) Contra Deismum et materialismum plures apologetae insurrexerunt, quos inter eminuit *Nicolaus Bergier*, Darneyensis, 1718—1790.

§ 2. SCHOLA PLATONICA.

In Anglia protestantes nonnulli contra Deismum et sensualismum dimicantes, Platonice doctrinis, ex graecarum litterarum renascente studio haustis, potius adhaeserunt, revelationemque christianam defenderunt. In dogmatum explicatione tamen Socinianismo infecti sunt. Horum praecipui fuerunt :

a) *Thomas Stanley*, Hertfordiensis, 1625—1678; primam philosophiae historiam conscripsit, cui revelationis defensionem inuexit.

b) *Samuel Parker*, Somersetaeus, 1617—1688, Episcopus Oxoniensis anglicanus, platonicae philosophiae innixus, mechanicam et atomisticam mundi explicationem refellit, finalitates in mundo ostendit, et inde existentiam Dei.

§ 3. SCHOLA ONTOLOGISTICA.

Nicolaus Malebranche, Parisiensis, 1638—1715, sacerdos catholicus oratoriensis, Cartesianismo imbutus, S^{ti} Augustini opera pervolvit, suo modo intellexit, et in Ontologismum (cfr. Logie. et Psychol.), atque Occasionalismum (cfr. Cosmol.) simul et optimismum pervenit. Libertatem humanam consequenter negare debuisse, sed eam defendit, in eo sitam esse reputans, quod motioni et actioni Dei in voluntatem hominis is resistere, actumque omittere possit; unde concludit malum unice in negatione, in omissione actionis consistere.

Suo tempore doctrina ista parum propagata, praeterquam in congregatione oratorii fuit; impugnata potius a pluribus, et mox fere derelicta; donec nostro saeculo XIX iterum inter catholicos non paucos assumeretur; cfr. infra.

§ 4. SCHOLASTICA PHILOSOPHIA.

Toto hoc saeculo per universam Europam, ac praesertim in septemtrionalibus regionibus, scholastica veritas multum detrimentum passa est, invadentibus novitatibus plurimum passim cessit; nec tamen plene extincta fuisse dicenda est.

1° In Italia Thomisticam philosophiam propugnauerunt :

a) *Nicolaus Arnu*, Lotharingus, 1629—1692, Dominicanus, docuit Tarraconae, Perpiniani, Romae, Patavii.

b) *Nicolaus Gennaro*, Messanensis, natus 1654, Dominicanus, docuit Messanae.

c) *Joannes Syri*, Ovadanus prope Genuam, Dominicanus.

d) *Sylvester Maurus*, Spoletanus, 1619—1687, Jesuita, docuit Romae, exactae et solidae doctrinae vir.

e) *Joannes Raphael Vico*, Neapolitanus, 1669—1744; contra Cartesium demonstrat veritatem esse generis humani traditam hereditatem communem, non denuo fundandam sed ex historia et sermone humano accipiendam. Atque ita principium statuit ex quo traditionalismus sequenti saeculo evolutus fuit.

f) *Hyacinthus Sigismundus Gerdil*, Samoentinus Sabaudiae, 1718—1802, Barnabita, docuit philosophiam Maceratae et Casalae, deinde praeceptor principis Sabaudiae, tandem Cardinalis; vir praeclarae eruditionis, scholasticus sui temporis praestantissimus, multiplici operum genere simul, et virtutibus clarus. Recentiora systemata refutat; Malebranchii doctrinam satis amice tractat mitigatque.

2° In Hispania semper tenacior fuit scholasticae fidelitas. Hoc saeculo magnae quidem notae nulli fuere eminentes doctores sicut superioribus; notabiles aliqui sunt:

a) *Laurentius Hervas et Panduro*, 1735—1809, Societatis Jesu; docuit philosophiam Matriti; dein missus in Americam; inde cum Sociis expulsus vixit in Italia exul; vir magnae eruditionis magnarumque virtutum.

b) *Andreas Piquer*, medicus et philosophus, apud Hispanos popularem vulgatamque fecit philosophiam, patrio idiomate suos libros conscribens. Ejus philosophia in multis fere philosophia scholastica est, praeterquam quod homini sui compoti ideam et notionem innatam et connaturalem divinitatis adesse docet, theoriam materiae et formae in rebus physicis rejicit, et animae facultates aliter enumerat explicatque.

c) *Ferdinandus Ceballos*, ordinis Sⁱ Hieronymi, recentiorum philosophorum impia et absurda dogmata solide convellit.

3° In Gallia rariores in dies fiunt veri scholastici. Fere sufficiat nominasse aliquos.

a) *Claudius Frassen*, Perronensis, 1620—1711, Franciscanus, vir egregiae virtutis, docuit Parisiis. Doctrinam Scotistarum voce et scripto praeclare exposuit et expolivit.

b) *Franciscus Noël*, † 1729, Jesuita, Suaresium sequitur fideliter, et in compendium redigit.

c) *Paulus Gabriel Antoine*, Lunaevillensis, 1679—1743, Societatis Jesu, docuit Mussiponti.

4° In Belgio nonnulli notatu digni scholastici.

a) *Jacobus Platel*, † 1681, Jesuita, docuit philosophiam, deinde theologiam, Duaci.

b) *Patres Augustiniani* egregie hoc saeculo laboribus suis philosophicis et theologicis splenderunt, alii Aegidio Colonna, alii Gregorio Ariminensi praecipue adhaerentes.

c) *Carolus Renatus Billuart*, Revinensis, 1685—1757, Dominicanus, Thomistarum sui aevi facile antesignanus et princeps; notissimus opere suo «summa Sⁱ Thomae.»

d) *Petrus Dens*, Antwerpiensis, 1690—1775, praeses seminarii Mechliniensis, dein archipresbyter...

5° In Germania scholasticam traditionem retinuerunt praecipue: schola thomistica Benedictinorum Salisburgensium; — scholae Jesuitarum Wirceburgensium et Ingolstadiensium; — scotistae Franciscani. — Ibi claruerunt non pauci doctores.

APPENDIX.

Saeculo igitur exeunte XVIII, interrupta fere ubique traditione christiana, in contemptum et neglectum delapsa doctrina scholastica, triumphante recentioris philosophiae multiplici variorum systematum discordia, omnibus in irrisionem scepticorum vel destructionem rationalistarum ruentibus, eo devenit ut non solum theoretice et in libris, sed practice et publice in agendi modo, ultimae conclusiones deducerentur. Nimirum turbata et eversa fuerunt cuncta, tum in ordine scientifico, tum in ordine sociali et morali, eoque perducta sunt quo apud exultas gentes impossibile videri debebat ut perducerentur. Vocatur illa «Gallica Revolutio.» — Ejus causae praeter philosophicos errores sparsos fuerunt: religionis catholicae immunitio; Jansenianorum, Gallicanorum, Josephistarum perfidiae; atque imprimis societatum secretarum, initio istius saeculi ortarum, et mox Judaeis invadentibus opere et foedere junetarum, occultae machinationes, quibus divinam et humanam auctoritatem omnem suffodere atque dejicere sunt aggressae.

SECTIO 3.

DE PHILOSOPHIAE REFORMATIONE AB EXEUNTE SAECULO XVIII.

Saeculo XIX, philosophiae directiones duas magnas discernere oportet. Posteaquam enim praecedentes moderna doctrinae in incredibiles excessus et abyssos «Revolutionis» deturbatae fuerant, atque externa aliqua sub Napoleone ordinis restauratio, apparensque etiam studiorum ac philosophiae reformatio fuerat adducta, et Ecclesiae restituta aliqua libertas; factum est ut recentiora systemata evolverentur quidem passim, non tamen sine intimis mutationibus renovarentur; simul apud catholicos quoque novus ardor ad

a) *Nicolaus Arnu*, Lotharingus, 1629—1692, Dominicanus, docuit Tarraconae, Perpiniensi, Romae, Patavii.

b) *Nicolaus Gennaro*, Messanensis, natus 1654, Dominicanus, docuit Messanae.

c) *Joannes Syri*, Ovadanus prope Genuam, Dominicanus.

d) *Sylvester Maurus*, Spoletanus, 1619—1687, Jesuita, docuit Romae, exactae et solidae doctrinae vir.

e) *Joannes Raphael Vico*, Neapolitanus, 1669—1744; contra Cartesium demonstrat veritatem esse generis humani traditam hereditatem communem, non denuo fundandam sed ex historia et sermone humano accipiendam. Atque ita principium statuit ex quo traditionalismus sequenti saeculo evolutus fuit.

f) *Hyacinthus Sigismundus Gerdil*, Samoentinus Sabaudiae, 1718—1802, Barnabita, docuit philosophiam Maceratae et Casalae, deinde praeceptor principis Sabaudiae, tandem Cardinalis; vir praeclarae eruditionis, scholasticus sui temporis praestantissimus, multiplici operum genere simul, et virtutibus clarus. Recentiora systemata refutat; Malebranchii doctrinam satis amice tractat mitigatque.

2° In Hispania semper tenacior fuit scholasticae fidelitas. Hoc saeculo magnae quidem notae nulli fuere eminentes doctores sicut superioribus; notabiles aliqui sunt:

a) *Laurentius Hervas et Panduro*, 1735—1809, Societatis Jesu; docuit philosophiam Matriti; dein missus in Americam; inde cum Sociis expulsus vixit in Italia exul; vir magnae eruditionis magnarumque virtutum.

b) *Andreas Piquer*, medicus et philosophus, apud Hispanos popularem vulgatamque fecit philosophiam, patrio idiomate suos libros conscribens. Ejus philosophia in multis fere philosophia scholastica est, praeterquam quod homini sui compoti ideam et notionem innatam et connaturalem divinitatis adesse docet, theoriam materiae et formae in rebus physicis rejicit, et animae facultates aliter enumerat explicatque.

c) *Ferdinandus Ceballos*, ordinis Sⁱ Hieronymi, recentiorum philosophorum impia et absurda dogmata solide convellit.

3° In Gallia rariores in dies fiunt veri scholastici. Fere sufficiat nominasse aliquos.

a) *Claudius Frassen*, Perronensis, 1620—1711, Franciscanus, vir egregiae virtutis, docuit Parisiis. Doctrinam Scotistarum voce et scripto praeclare exposuit et expolivit.

b) *Franciscus Noël*, † 1729, Jesuita, Suaresium sequitur fideliter, et in compendium redigit.

c) *Paulus Gabriel Antoine*, Lunaevillensis, 1679—1743, Societatis Jesu, docuit Mussiponti.

4° In Belgio nonnulli notatu digni scholastici.

a) *Jacobus Platel*, † 1681, Jesuita, docuit philosophiam, deinde theologiam, Duaci.

b) *Patres Augustiniani* egregie hoc saeculo laboribus suis philosophicis et theologis splenduerunt, alii Aegidio Colonna, alii Gregorio Ariminensi praecipue adhaerentes.

c) *Carolus Renatus Billuart*, Revinensis, 1685—1757, Dominicanus, Thomistarum sui aevi facile antesignanus et princeps; notissimus opere suo «summa Sⁱ Thomae.»

d) *Petrus Dens*, Antwerpiensis, 1690—1775, praeses seminarii Mechliniensis, dein archipresbyter...

5° In Germania scholasticam traditionem retinuerunt praecipue: schola thomistica Benedictinorum Salisburgensium; — scholae Jesuitarum Wirceburgensium et Ingolstadiensium; — scotistae Franciscani. — Ibi claruerunt non pauci doctores.

APPENDIX.

Saeculo igitur exeunte XVIII, interrupta fere ubique traditione christiana, in contemptum et neglectum delapsa doctrina scholastica, triumphante recentioris philosophiae multiplici variorum systematum discordia, omnibus in irrisionem scepticorum vel destructionem rationalistarum ruentibus, eo devenit ut non solum theoretice et in libris, sed practice et publice in agendi modo, ultimae conclusiones deducerentur. Nimirum turbata et eversa fuerunt cuncta, tum in ordine scientifico, tum in ordine sociali et morali, eoque perducta sunt quo apud exultas gentes impossibile videri debebat ut perducerentur. Vocatur illa «Gallica Revolutio.» — Ejus causae praeter philosophicos errores sparsos fuerunt: religionis catholicae immunitio; Jansenianorum, Gallicanorum, Josephistarum perfidiae; atque imprimis societatum secretarum, initio istius saeculi ortarum, et mox Judaeis invadentibus opere et foedere junetarum, occultae machinationes, quibus divinam et humanam auctoritatem omnem suffodere atque dejicere sunt aggressae.

SECTIO 3.

DE PHILOSOPHIAE REFORMATIONE AB EXEUNTE SAECULO XVIII.

Saeculo XIX, philosophiae directiones duas magnas discernere oportet. Posteaquam enim praecedentes moderna doctrinae in incredibiles excessus et abyssos «Revolutionis» deturbatae fuerant, atque externa aliqua sub Napoleone ordinis restauratio, apparensque etiam studiorum ac philosophiae reformatio fuerat adducta, et Ecclesiae restituta aliqua libertas; factum est ut recentiora systemata evolverentur quidem passim, non tamen sine intimis mutationibus renovarentur; simul apud catholicos quoque novus ardor ad

studia, novaque superiorum traditionum recordatio resuscitaretur. Sint igitur :

Articulus 1. Philosophiae modernae reformatio.

Articulus 2. Philosophiae christianae restauratio.

ARTICULUS 1.

Philosophiae modernae reformatio.

Apparens tantum atque mere externa ideo fuit pacis restauratio post Napoleonem, quia non in veris christianisque principiis omnia firmata fuerunt, sed in falsis et labilibus recentiorum placitis fundata. Hinc etiam ipsa illa placita et systemata non correctionem sed evolutionem novam acceperunt, quae nunc exponenda nobis est; ea vero duplicem in viam abivit; sint ergo

§ 1. Idealismus Germanorum.

§ 2. Empirismus sensualis Gallorum et Anglorum.

§ 1. IDEALISMUS GERMANORUM.

Apud Germanos jam declinante saeculo XVIII paulatim oriebatur immutatio philosophiae recentis; quae tamen ante generalem Revolutionis eladem parum nota, post illam mundum fere invasit, atque hodie etiam late serpens, tamquam verae philosophiae tunc tandem oriundae initium habetur. Eam dividamus exponendam, et sit :

- I. Criticismus Kantianus.
- II. Pantheismus transcendentalium.
- III. Reactionis tentamina contra idealismum.
- IV. Pessimismus, Nihilismus, Buddhismus.
- V. Germanicae philosophiae propagatio extra Germaniam.

I. Criticismus Kantianus.

1° *Immanuel Kant*, Regiomontanus, 1724—1804; docuit in patria sua. Is per complures annos philosophiae Wolffianae adhaesit. At, postquam opera Davidis Hume et J. J. Rousseau legit, dubium concepit de omnibus rebus, anceps aliquandiu haesit, ac tandem 1781, suam reformatam philosophiam criticam edidit, ac deinceps perfecit. Quid philosophiae ante Cartesium, Locke, Leibnitz, extiterit, quid Ecclesia catholica ejusque doctores scholastici fuerint et docuerint, id videtur prorsus ignoravisse. — Tota ejus reformata philosophia continetur in critica facultatum nostrarum, qua earum valorem objectivum discutit. Breviter majora et praecipua ejus opera exponenda sunt.

A. *Critica rationis purae* (cfr. *Logic. prop.* 48, 49, 50). Posita quaestione

de valore facultatum, orditur divisione judiciorum nostrorum quorum sola «synthetica a priori» sint scientifici valoris. Horum porro origo est partim ab experientia sensibilitatis, quae materiam, phaenomena, exhibet; partim ab ipso intellectu, qui formam, categorias subjectivas, praebet. — Ipsa phaenomena oriuntur partim ab objecto, quod materiam, entis ignoti influxum, affert; partim ab ipsa sensibilitate, quae formam, subjectivas formas duas (transcendentales, i. e. ineluctabiles), *tempus et spatium*, innatas sibi essentielles habet. — Categoriae intellectus sunt duodecim, correspondentes judiciorum syntheticorum a priori partitioni; ea enim sunt a) quoad *quantitatem*: singulare, vel particulare, vel universale; b) quoad *qualitatem*: affirmans, vel negans, vel indefinitum (i. e. quo negatio non copulam sed vel praedicatum vel subjectum afficit); c) quoad *relationem*: categoricum (absolute praedicans), vel hypotheticum (conditionate praedicans), vel disjunctivum (ambigue praedicans); d) quoad *modalitatem*: problematicum (de possibili praedicans), vel assertorium (de facto praedicans), vel necessarium (de necessitate praedicans). — Rationis item tres sunt formae innatae, variis ratiociniis respondentes; omne enim ratiocinium est: vel *categoricum*, nitens in categoria substantialitatis et inhaerentiae, quaerens subjectum cui varia praedicata inhaereant, quod ipsum in nullo alio inhaereat: substantiam; eritque haec idea innata *psychologica*, subjecti, — vel est *hypotheticum* ratiocinium, nitens in categoria causalitatis et dependentiae, quaerens ordinem subordinationum et dependentiarum inter varia subjecta; eritque haec idea innata *cosmologica*, mundi; — vel est ratiocinium *disjunctivum*, nitens in categoria communicationis seu mutuae dependentiae, quaerens absolutam unitatem ultimo independentem omnium rerum; eritque haec idea innata *theologica*, Dei. — Porro cum omnes illae formae sint mere subjectivae, nullum objectivum valorem habent. Ergo sola phaenomena cognoscimus, entia in se qualia sint nescimus, noumena nostra subjectiva quid objective sint nescimus; item de substantia, de propria nostra anima, de mundo, de Deo, an sint et quid sint, prorsus ignoramus. Ex ideis seu formis illis rationi innatis oriuntur antinomiae plures, i. e. theses et antitheses, contradictoria judicia naturaliter aequae certa et aequae demonstrabilia.

B. *Critica rationis practicae*. Sicut in judiciis syntheticis a priori elementum unum materiale alterum formale est, ita et in judiciis practicis: materiale est «*bonum*» quod appetitum nostrum afficit, sed empiricum et mobile est; formale est «*debere*,» quod a ratione praebet et est a priori, subjectivum, et necessarium omni judicio practico. Lex igitur ex eo lex est quod universalis est omnibus imperans; sed id ab elemento formali, non a materiali oritur. — Ergo *lex moralis* ab omni elemento materiali abstrahat, solum formale retineat necesse est, quod omnibus imponatur; ac proinde summum legis naturalis principium illud est: «sic age ut lex quam tibi praestituis valere possit pro generali norma operandi, possisque istud rationabiliter expetere.» Ut ergo moraliter honesta sit actio, debet ea sine ullo respectu

ad bonum quodcumque, objectum materiale, sed unice ex lege morali, solo elemento formali, procedere. — Ex his sequitur : a) hominem esse autonomum, ex sola sua ratione sibi leges morales imponentem; — b) legem hanc rationis debere *imperativam* esse, quum hominis sensibilitas rationi resisteret nisi imperio cogeretur; — c) debere istud imperativum non hypotheticum sed *categoricum* esse, quod actum imperet non ut medium ad bonum vel finem obtinendum vel beatitudinem, sed unice actum moralem propter seipsum. — Verum hoc principium supponit necessario tria principia theoretica tanquam postulata sine quibus concipi non possit : a) existentiam libertatis, qua independenter ab omni externo influxu, homo sibi legis obligationem imponat, b) immortalitatem animae, qua perpetuo ascensu ad culmen illud perfectionis tendat, c) existentiam Dei, qui beatitudinem cum honestate connectat. — Atque ita, quae ratio pura theoretica ignorabat, ratio practica docet esse admittenda, sic tamen ut etiam postea nihil ulterius quoad eorum objectivitatem et naturam indagare vel concludere possit ratio pura!

C. *Metaphysica principia juris.* Lex juridica cum lege morali in eo convenit, quod utraque ex ratione practica oritur, et utraque elemento formali solo regi debet; sed ab eadem in eo differt, quod moralis internas operationes ordinat, juridica vero de internis dispositionibus nihil curat, sed solas externas operationes ita disponit, ut externus usus libertatis cum libertate aliorum sit conciliabilis. Hinc obligatio moralis et obligatio juris omnino a se mutuo differentes, independentes, imo separatae sunt; estque supremum juris principium : « Externe ita age ut usus tui liberi arbitrii cum libertate omnium secundum unam legem conciliari possit. » Hinc etiam obligatio moralis non cogit externe, juridica vero cogit, requiritque potestatem cogentem, quae nonnisi status civilis est. Huic civili statui sociali iudice, non historice, praesupponitur status naturalis sine iuribus; ex quo in statum sociale transire, primum officium iudicum hominum est; id autem fit per contractum quo omnes suam libertatem individualement abdicant, in commune conferunt, iterumque a communitate recipiunt. Unde et suprema potestas essentialiter multitudinis est.

D. *Critica iudicii seu facultatis iudicandi.* Haec est facultas particulare sub universali cogitandi; et aut a dato universali ad particulare descendit, vocaturque *determinans*, aut a dato particulari ad universale ascendit, vocaturque *reflectens*; et est intermedia inter rationem puram, quae omnia naturalia ac necessaria attingit, et rationem practicam, quae contingentia ac libera attingit. Ut ergo a contingentibus, liberis, particularibus, ad necessaria, naturalia, universalia, adscendat, indiget ratio aliquo principio directivo; et haec erit *idea finalitatis*, quae ad unitatem universalitatis ducit, et pontem jacit quo mundus necessarius a ratione pura cogitatus, cum mundo libero a ratione practica excogitato uniatur. — Sed et haec idea finalitatis elementum duplex complectitur: alteram finalitatem subjectivam, formalem, qua utens facultas vocabitur *aesthetica*; alteram finalitatem objectivam, materialem, qua

utens facultas vocabitur *teleologica*. — Aestheticae objectum est *pulchrum*, i. e. id quod per suam cum humana cognitione conformem formam, excitat complacentiam universalem, necessariam, sine proprii commodi respectu ullo; et *sublime*, i. e. magnum, quod ideam infiniti excitat, et oppositione sui cum nostri commodi quaestu immediate placet. — Teleologicae objectum sunt res naturales secundum earum *finalitatem objectivam* spectatae, sine respectu ad nostram cognitionem; quae finalitas objectiva, est vel *externa*, utilitas unius rei ad alteram; vel *interna*, qua unius rei singulae partes sunt simul media ad fines, et ipsi fines. Haec finalitas interna nonnisi in rebus organicis invenitur; unde illas res praecipue considerat facultas iudicandi teleologica.

E. *De Religione intra limites rationis purae.* Religio est ipsa moralis relate ad Deum tamquam legislatorem; i. e. in quantum nobis leges moralitatis cogitamus tamquam a Deo latas, et sanctioni connexas, atque ut tales observare conamur. Religio igitur nonnisi complementum moralis est, nempe postulatum praesupponendum, sicut rationi practicae praesupponenda erant immortalitas animae et existentia Dei; neque alium habet valorem objectivum. — Exinde aggreditur Kant christiana dogmata ita explicare, ut mere mysticas personificationes concedat ea esse idearum moralium subjectivarum: primum peccatum parentum, originem mali, regenerationem iustificati, incarnationem filii Dei, redemptoris satisfactionem. — Ergo officium hominis est, filio Dei, i. e. typo ideali perfectionis, similem fieri magis ac magis. Ad hoc autem, propter innatam proclivitatem ad malum, et impedimenta ab aliis hominibus, opus est ex statu naturali, luctae boni et mali in singulis, transire in statum societatis legibus religiosis regendae, quae Ecclesia est. Ecclesiam non multitudo sed Deus regere debet; eaque est praeparatio, medium necessarium praevium ad veram puram moralitatem rationis practicae; ergo qui finem, puram moralitatem adeptus erit, is, sive individuus homo sive populus, debebit omnem Ecclesiam et religionem utpote jam inutilem abjicere.

2° Haec igitur Kantii nova doctrina, in se obscura et omni naturali rationi contraria, sed solemni ac fucoso stylo conscripta, frigidae rationis et scientifici apparatus speciem praebens, superbi contemptus plenam adversariorum neglectionem, propriae sententiae admirationem prae se ferens; initio fuit a paucis intellecta et animadversa, mox a variis varie accepta. Eam summis laudibus celebraverunt, propriisque laboribus commentati, interpretati, explicare conati sunt multi; adeoque mox omnes Germaniae Academias invasit Kantianismus.

3° Adversarios habuit Kantianismus, praeter catholicos, quorum primus et aliquamdiu fere solus exstitit publice consurgens *Benedictus Stattler*, †1797, olim Jesuita; etiam nonnullos inter recentioris philosophiae cultores. Praecipui fuerunt : a) *Joannes Gottifredus Herder*, de quo jam supra. — b) *Fridericus Henricus Jacobi*, Dusseldorfiensis, 1743—1819, dives mercator, postea philosophiae et litteris vacans; pantheismo Spinoziano multum indul-

get, in scepticismum tandem pervenit; ex quo ut sese liberet, non Kantianas formas admittere vult, sed ultimum aliquod veri criterium, sensum subjectivum complacentiae erga verum et bonum.

II. Pantheismus transcendentalium.

Kantiana philosophia, qualis ab ipso patriarcha Regiomontano efformata fuerat, diu stare non potuit, quin logicis necessitatibus cedens ad ulteriora evolveretur. Ex illo enim universali subjectivismo atque absoluto idealismo, quem implicite saltem continebat, mox deducta est passim ad absolutam omnium identitatem et pantheismum, quem transcendentalem vocaverunt ex eo quod, experientiam nihili facientes, solis ratiociniis quae omnem experientiam transcenderent procedentes; systemata sua exstruebant. Horum praecipui fuerunt:

1° *Joannes Theophilus Fichte*, Rammenaviensis in Lusatia, 1762—1814; Kantii amicus et discipulus, philosophiam docuit Jenae et Berolini. Kantii philosophiae evolutionem fecit; eo maxime quod «ens in se» sub noumenis et phaenomenis a magistro admissum tanquam objectivum, logica deductione negavit aliud esse quam merum subjectivum figmentum; pervenitque ad absolutam identitatem omnium, quae nihil aliud sint, nisi unum idemque subjectum cogitans, seque ipsum sibi cogitando opponens tanquam aliquod distinctum et multiforme objectum ideale. — Multa de his scripsit, suoque tempore magnam apud Germanos famam nactus est.

2° *Fridericus Guillelmus Joseph Schelling*, Leonbergensis in Suevia, 1775—1854; studuit Tubingae et Lipsiae, docuit Jenae, Fichtii collega, deinde Wirceburgi, et Monachii. Is systema completum et unum nunquam habuit, sed paulatim evolvit et mutavit Fichtii sententias in doctrinam unitatis absolutae omnium contradictoriorum et oppositorum, ac pantheismum idealem objectivum. — Tria stadia evolutionis in ejus vita et philosophia distinguunt Germani: a) stadium pantheismi idealis quem ex Fichtii doctrinis ita promovit, ut a subjectivismo hujus nimio ad naturae mundanae studium magis conversus, objectivismum potius idealem unitatemque pantheisticam efformaret (cfr. Cosmol.); — b) stadium syncretismi suarum doctrinarum cum variis Plotini aliorumque Neoplatonicorum, Giordani Brunonis et Spinozae placitis; — c) stadium mysticae theosophiae. — Apparenti aliqua facilitate, ac styli amoenitate et imaginibus, multum prae Fichte et ipso Kantio, vulgo placuit, multosque apud Germanos asseclas obtinuit. At diuturnus non potuit existere ille triumphus, doctrinae scilicet tam gravibus absurditatibus plena.

3° *Georgius Guillelmus Fridericus Hegel*, Stuttgardiensis, 1770—1831; studuit Tubingae, docuit Jenae, Bambergae, Berolini. Fichtii et Schellingii amicus et discipulus, eorum sententiam ita expolivit ut omnem objectivitatem, tum naturam mundanam, tum historiam humanam, tum artium, scientiarum, religionum successionem et evolutionem, ad merum idealem logicum

processum deductionum reduceret, atque Pantheismi idealis extremos limites attingeret. — Is quoque multos apud Germanos discipulos et admiratores habuit, fuit tamen mox cum suis absurditatibus derelictus.

4° *Fridericus Schleiermacher*, Breslaviensis, 1768—1834; pastor protestanticus Berolini; spinozianum pantheismum excoluit; religionem putat a philosophicis doctrinis plane sejunctam, ex pietatis sensu ortam, sicut et ipsam persuasionem Dei personalis, et Redemptoris, et vitae aeternae. Christianam vero religionem exhibet tanquam merum mentis subjectivum figmentum, et rationis lusum sine veritate nec valore serio. Quibus suis doctrinis multum dissolventem influxum exercuit in protestantium, quin imo nonnullum in catholicorum Germaniae theologiam.

5° *Carolus Krause*, Ferromontanus, 1781—1832, docuit Dresdae et Göttingae. Is placita praecedentium suo modo evolvens, docuit non pantheismum sed pantheismum idealem esse verum; nempe non quidem omnia esse cum Deo convertibiliter identica, sed volens simul theistarum divinam humanamque personalitatem conciliare cum pantheistarum identitate universali, autumat omnes res mundanas esse quidem unum essentialiter in divina essentia identicum, sed Deum esse praeter ea omnia ens unum omnibus superius; contradictionibus scatens systema et omni positivae religioni inimicum.

III. Reactionis tentamina contra idealismum.

1° *Joannes Fridericus Herbart*, Oldenburgensis, 1776—1841; Wolfii, deinde Kantii, postea Fichtii discipulus, mox idealismum omnia in Germania invadentem deseruit; docuit tandem Regiomonte, et Göttingae. Construit sibi systema ex Eleaticis, Platonicis, Leibnitzianis placitis, realismum nempe cui sola experientia tanquam philosophiae fundamentum valet. — Kantii prima principia et judicia a priori admittit, ac proinde omnia quae novimus, esse mera phaenomena, sed addit phaenomena sine entitate objectiva esse non posse; proindeque totam philosophiam ad solam conceptuum nostrorum analyticam scientiam et evolutionem reducendam esse. Hinc logica quaerit conceptuum claritatem; metaphysica quaerit istorum conceptuum contradictiones perspicere, atque in conciliationem adducere per ipsorum conceptuum completiorem evolutionem (hujus subdivisiones sunt ontologia, synechologia, seu de relationibus, et psychologia); *aesthetica* (cujus una pars est ethica) quaerit conceptus ita complere ut aestimationem rectam pariant, et systema rerum unum totum placens perficiant. — In logica Kantium sequitur quoad essentialia; — in metaphysica primum statuit, omne reale esse simplex immutabile aeternum; unde contradictiones animadvertit in conceptibus extensionis, inhaesionis, causalitatis; — animam humanam ad aliquem mechanismum reducit; eam dicit nullas proprietates diversas vel potentias habere, sed solam sui conservationem, conscientiam sui et cognitionem aliarum rerum; eamque solum extrinsece cum corpore uniri; libertatem a coac-

tione quidem affirmat, sed libertatem quae sit verae indifferentiae negat. — Conceptu Dei nihil aliud exhibetur quam ideale exemplar secundum quod aestheticos et ethicos conceptus ordinemus; reduciturque tota ethica ad studium pulchri moralis, et conscientia moralis ad iudicium aestheticum circa tale pulchrum.

2° *Adolphus Trendelenburg*, Eutinensis, 1802—1873; docuit Berolini. Ad Aristotelis principia redire conatur, sed incomplete. Principia philosophandi sunt: motus, materia, finalitas. Ex motu ad mathematicas categorias, ex materia ad physicas, ex finalitate ad organicas et ethicas deducimur. — Principium contradictionis non est absolutum principium. — Absolutum, i. e. infinitum, ex omnibus mundanis rebus indicatur quidem, non tamen probari neque cognosci potest, etiamsi totum mundum adaequata scientia cognosceremus; et « nesciendo Deus scitur! »

3° *Hermannus Lotze*, Bautzianus, 1817—1881; docuit Lipsiae et Göttingae. Is simul idealismo et materialismo se opponens, sua fere ex Leibnitz et Herbart desumit et paulo evoluit. Mundum mechanice atomis et monadibus explicat; principium vitale rejicit, solam animam humanam individuam admittit, propter conscientiam explicandam. Totius mundi principium unum infinitum admittit, quod tamen ita exponit ut idealisticum pantheismum vitare vix videri possit.

4° *Gustavus Fechner*, Moscoviensis, 1801—1887, docuit Lipsiae; ad Spinozae pantheismum rediens, physicam recentium dynamistarum simul conciliare conatur. Mundus nihil aliud est nisi phaenomenales manifestationes Dei, qui ipse nihil aliud est quam anima mundi. Illarum manifestationum leges constantes analytice evolvere, munus physicae scientiae est; qua ultimam ad atomos deducimur. Atomi vero non sunt monades, sed tantum elementaria phaenomena, i. e. virium centra.

IV. Pessimismus, Nihilismus, Buddhismus.

1° *Arthur Schopenhauer*, Dantianus, 1788—1860; magistros habuit Schultze, Fichte, Goethe, aliquamdiu docuit Berolini, mox vitam privatam egit. Is ad ipsum Kant, rejectis posteriorum evolutionibus, redire satagit; principia omnium admittit esse spatium et tempus et categorias Kantianas duodecim (quas inter fundamentalis et prima sit: causalitas). His principiis mere subjectivum et phaenomenalem valorem subesse admittit; non tamen concludit cum Kantio, objectivam realitatem quae sit a nostra cognitione independens esse prorsus incognitam; sed eam ex voluntate, nobis interne cognita, agnosci concludit. Voluntatem autem vocat tendentiam qualemcumque: sicut enim in homine corpus est objectiva actio voluntatis, ita in ceteris, objectiva essentia est tendentiae naturalis actus. Voluntas haec, seu tendentia, phaenomenaliter multiplex, essentialiter una est mundi universi. — Voluntas perpetuo impeditur, ergo tota rerum essentia est perpetuo dolorem pati, ac proinde

mundus qui nunc est, omnium possibilium mundorum pessimus est. Lenitur quidem aliquantulum cruciatus fruitione pulchri, plene tamen leniri nequit nisi compassione et asceti, qua perveniatur ad extinctionem voluntatis, i. e. omnis tendentiae et essentiae, et ad annihilationem perfectam, ad Nirvana Indorum.

2° *Eduardus Hartmann*, Berolinensis, 1842—1886; prius miles, dein musicus et philosophus, omnis philosophicae traditionis contemptor, propriarum lucubrationum admirator; systema Schopenhauer renovat materialistarumque omnibus placitis innectit, abstrusissimas difficilesque quaestiones joco verborumque lusu solvit. — Systema suum vocat « philosophiam inconscii. » Inconscium nempe est neque ens, neque cognoscens, neque omnino aliquid, sed est potentialitas mera, vis repraesentandi et volendi (tendendi). — Hoc se manifestat primo in elementaribus atomis, et se evoluit in entia superiora, donec ad sui conscientiam in homine perveniat; verum tunc animadvertit mundum esse pessimum, seseque in malam viam tetendisse se evolvendo, atque jam concludit unicam viam ad beatitudinem esse, ut prius ad Nirvana, ad statum primordiale inconscii redeat, ex quo postea in aliam directionem tendens evolvere se forsitan melius possit. Tales evolutiones erroneas jam indefinite multas successive percurrit, et in posterum percurreret, donec unam eam inveniat quae ad vere bonum statum perducatur. — Uniuntur proinde in hoc systemate sententiae omnes extremae idealismi, materialismi, transformismi, pessimismi et nihilismi. — Ut autem possimus ad Nirvana tendere, non sufficere potest singulorum destructio, sed totius mundi annihilatio requiritur. Ad hanc vero triplex illusio nobis vincenda manet: terrena beatitudinis amor, futurae vitae et felicitatis spes, progressus fiducia. Ergo ad ethicam Buddharum deducimur; quod et ipse Hartmann fatetur, et sperat mox universale futurum.

V. Germanicae philosophiae propagatio extra Germaniam.

Non solum in ipsa Germania fere omnes scholas, omnesque libros et ipsos populares modos loquendi, in partibus acatholicis praesertim, invasit; sed et in alias nationes non parum penetravit. Sic 1) in *Russiae* universitatibus vix non omnibus aut sola Germanica philosophia praelegitur, eaque sub omnibus formis, et usque ad ultimas evolutiones perducta; aut una cum materialistico empirismo proponitur, et apud omnes laudatur. — Idem de *Scandinaviae* regnis dicendum.

2) In *Anglia* praevalent quidem variae empirismi formae (de quibus mox infra), laudatur tamen et legitur apud non adeo paucos Kant, Hegel, Schopenhauer.

3) In *Belgio* valde paucis placuit Germanismus; attamen pantheismum Krausii Bruxellis docuere diu *Henricus Ahrens* et *Tiberghien*.

4) In *Gallia* vix intellectus fuit, nec nisi apud paucos laudatus; aliquem influxum habuit apud eclecticos (de quibus mox infra).

5) In *Hispania*, Catholicae veritatis tenacissima, Germanismus nonnisi ultimis hisce annis, et rarius quidem fuit laudatus, vulgatus vero minime. — Nominatur primus *Julius Sanz del Rio*, Illescanus; studuit Heidelbergae, docuit Matrili panentheismum Krausianum, obiit 1869. Hujus doctrinae ab omnibus Revolutionis asseclis et societatum secretarum agitatoribus in Hispania, tamquam ultima scientiae et philosophiae fastigia celebrantur; sed apud reliquam gentem non accipiuntur.

6) In *Italia* Hegelianismum introductum sparserunt *A. Vera* et *Bertrandus Spaventa*; ad scepticismum idealisticum accedunt *Joseph Ferrari* et *Ausonius Franchi*.

7) In *America Septentrionali* et in *India Orientali* non quidem dominatur Germanica philosophia, nec nullum tamen favorem consecuta est in Universitatibus et libris scriptis aliquibus.

§ 2. EMPIRISMUS SENSUALIS GALLORUM ET ANGLORUM.

Obviam habemus opinionum multitudinem et aberrationum farraginem, quam ordine aliquo et methodica divisione proponere, facile non est; dominatur empirismus, isque materialisticus extremus. In quibus omnibus, propter tantam paritatem, mutuamque communicationem, opus esse non videtur separare duarum gentium, Anglicae et Gallicae, philosophos. Sit igitur aliqua distinctio ad expositionis claritatem:

- I. Materialismus, sensualismus, phrenologismus.
- II. Positivismus, transformismus, physiologismus.
- III. Socialismus.
- IV. Eclectismus rationalisticus.
- V. Empirismi propagatio apud ceteras gentes.

I. Materialismus, sensualismus, phrenologismus.

1° *Joannes Georgius Cabanis*, Conaciensis, 1757—1808, docuit Medicinam Parisiis; sensismum Condillacii expolivit, ita ut diceret, sicut stomacho coquantur cibi, digestio fiat, ita cerebro digeri impressiones, cogitationem secerni.

2° *Constantinus Chasseboëuf*, comes *de Volney*, 1757—1820, sensualismum potius sub respectu morali exponit; principium moralitatis omnis ponit « conservationem sui. »

3° *Petrus Laromiquières*, Levignacius, 1757—1837, sacerdos apostata, docuit Parisiis ideologiam Condillacii paulo mitigatam.

4° *Joannes Joseph Gall*, Wittenbergensis, 1758—1828; craniologiae pater, docuit primo Vindobonae, sed mox per reliquam suam vitam Parisiis scripsit et edidit suos libros. Paucis annis ita suum systema sparsit ut illud apud plures gentes admitteretur; non tamen diu tanti errores stare potuerunt,

etiam apud materialistas, contradicentibus nimis experimentis et observationibus.

II. Positivismus, transformismus, physiologismus.

1° *Augustus Comte*, Monte Pessulano ortus, 1798—1857; studuit Parisiis, ibidemque docuit; vir omnibus excentricis stultitiis notus, aliquando amentia furiosa correptus, philosophiae positivae pater simul et positivisticae Religionis humanitatis summus Pontifex! ab omnibus derelictus, in morte vix aliquibus amicis cognitus. — Vacua haec ejus philosophia (cfr. logic. prop. 62) nostro frivolo saeculo multis arrisit, multosque adhuc detinet, vix paucis modificata!

2° *Ernestus Littré*, Parisiensis, 1801—1881, docuit et scripsit Parisiis, Augusti Comte fidelis discipulus, medicus, qui maxime contulit ad cognitionem magistri ejusque doctrinae spargendam.

3° Hos sequuntur, pauca mitigantes, *H. Taine*, Gallus, et Angli: *Joannes Stuart-Mill*, Londinensis, 1806—1873; — *Hubert Spencer*, Derbiensis, natus 1820; *Alexander Bain*, Aberdeenius, natus 1818.

4° *Joannes Lamarck*, Bazantinensis, 1744—1829; transformismi pater, vel saltem patronus primus publicus; materialismi cultor, zoologicis studiis deditus.

5° *Carolus Darwin*, Schrewsburgensis, 1809—1882; famosus ille explicationis auctor quam transformistae fere omnes per totam Europam et Americam celebrant (cfr. organol. prop. 16—19). — Plurima et acute observata facta, eaque eleganter narrat; sed ratiociniis ea perpetuo praesupponit quae probare vult, audacibus et gratuitis hypotheseis suis eundem tribuit valorem ac si objectivas eas observavisset; nihil serio probat, et jam paulatim etiam a scientiatis deseri incipit.

6° Hos sequuntur praecipui: *Joannes Herschel*, *Thomas Huxley*, *Alfredus Russell Wallace*, etc...

7° *Jeremias Bentham*, Londinensis, 1747—1832; ex materialistarum et positivistarum principis ethicam excolit, plane atheam, meram utilitatem tamquam supremam morum normam statuens, obligationem moralem nullam agnoscens, auctoritatem civilem ad solam utilitatem admittens, nempe ad minuendam malorum, augendam honorum materialium summam in multitudine.

8° Hunc sequitur *Thomas Robertus Malthus*, Rookeriensis, 1766—1834; politicam oeconomiam ad populationem augendam minuendamve eo modo detorquens, quomodo pecudum multitudinem pastor curaret! — Huic nec theoretici nec practici discipuli desunt!

9° In Gallia tres praecipuae gentis scholae: Schola Medicinae, Schola Polytechnica, et Schola Normalis, fere exclusive positivisticis doctrinis deditae sunt. — Hinc factum est ut plerique medici totam philosophiam redegerint

ad nudum physiologiae materialisticum studium; ac fere mesmerismi, variasque magnetismi praxes, interdum ad superstitiones praeternaturales usque, prodixerint (cfr. Theol. natur. Append.). — Inter illos eminent Parisiis *E. Charcot, Car. Richet, Petrus Janet*; Nanceii: *Liégeois, Bernheim, Beaunis*; item Londini: *Car. Crookes, Joannes Lubbock, Romanes...*

III. Socialismus.

1° *Henricus Saint-Simon*, Parisiensis, 1760—1825; primus ex materialistico pantheismo deduxit eam doctrinam nunc late vulgatam, quae prius communismum absolutum et universalem, mox tamen mitigatum, ac tandem solum socialismum docuit (cfr. Ethic. prop. 96, 97). Societatem communismi legibus fundavit, quae brevi in dissolutionem abiit; theoretice nihilominus discipulos non paucos retinuit.

2° *Carolus Fourier*, Vesuntinus, 1772—1837, praecedentis discipulus et cooperator, societatis humanae malis mederi aestimabat, si aggregationes partiales hominum bis millenorum statuerentur, quae simul habitantes; totidem societates communismi legibus viventes constituerent; quas «phalanges,» cujusque vero phalangis domum communem «phalansterium» nuncupavit. Infelix tentamen fuit. — Theoretica deliria omitti hic possunt, quae et mox perierunt.

3° *Petrus Leroux*, Parisiensis, 1798—1871; aliquando in societate a Saint-Simon fundata vixit, mox ab ea discessit; scriptis theoriam socialismi et communismi plurimum sparsit et vulgavit in Gallia; multus est in inculcando dogmate «progressus indefiniti,» quo fiat ut humanitati per varia stadia perfectionis a prima barbarie perpetuo ascendenti, aliquando utilissimus fuerit christianismus, nunc vero antiquatus ac deserendus.

4° *Ludovicus Cabet*, Divionensis, 1788—1856, caudidicus, dein in Anglia fugitivus degens, scriptis socialismum et communismum multum promovit. Communitatem sibi in America constituit; quae mox discordia periit; ipseque miseria pressus interiit.

5° *Joseph Proudhon*, Vesuntinus, 1809—1865; scripsit aliquando Vesuntione, et ab anno 1848 Parisiis. Odio acerbo persequitur omnem ordinem religiosum et juridicum; divinitatem ipsum Malum esse dicit, et proprietatem furtum; auctoritatem nullam vult, sed anarchiam completam in qua plebs ratione methodice exulta de omnibus statueret.

6° *Ludovicus Blanc*, Matrili natus ex Gallis parentibus, 1813, postea in Galliam redux, multa scripsit; communismum deserit, socialismum in Statu inducendum docet, normamque proponit qua Statui omnia competerent, individui homines perfecte aequales essent.

7° Apud Anglos et apud Americanos incipiunt eadem deliria paulatim propagari.

IV. Eclectismus rationalisticus.

Contra illos materialismi excessus aliquam reactionem, non tamen efficacem quia non christianam, tentaverunt aliqui eclecticici, ex empirismo, cartesianismo et germanismo varia colligentes. Horum praecipuos notasse sufficiet.

1° *Joannes Petrus Ancillon*, Berolinensis, 1766—1837, gallice scripsit, prima fundamenta jecit eclecticismi quem mox alii ulterius excoluerunt. Queritur a philosophis veritatem non plenam fuisse inventam, quia non ad solam observationem empiricam internam recurrerint; hac enim inveniri quid necessario tanquam verum ab omnibus admittatur. Ergo ex omnibus systematibus illud hauriendum esse quod verum contineant.

2° *Petrus Paulus Royer-Collard*, 1763—1845, pariter ad observationem internam appellat, sensismum Condillaeii impugnat, scholae Scoticae sententias in Galliam inducit.

3° *Victor Cousin*, Parisiensis, 1792—1867, eclecticorum praecipuus, late notus. Docuit in Schola Normali, deinde in Sorbona; fuit Magister Universitatis, et Minister Instructionis publicae. — Primo scholae Scoticae addictus; postea ad Germanos, Kant, Schelling, Hegel, Strauss, accedens; ex Spinoza nonnulla etiam decerpens; rationalismi saeculo nostro antesignanus; hoc solum bonum praestitit, quod studia, imo ipsum nomen philosophiae, post horrendos saeculi praecedentis exeuntis excessus in despectum prolapsa, exemplo et auctoritate sua in aliquem honorem restituit apud Gallos.

a) quoad *methodum*: eclecticorum omnium principium statuit: apud omnes philosophos semper necessario aliqua esse vera, aliqua falsa; observatione igitur sincera debere ea undique conquiri quae vera sunt; sed criterium non habet quo vera illa a falsis illis discernat.

b) quoad *psychologiam*: libertas est principium et essentia personalitatis, imo est ipsa personalitas. — Rationis leges (seu formae subjectivae) duae sunt, quibus omnia cogitamus: substantia (seu id quod agit). — Ratio est absolute autonoma quoad res morales, nempe impersonalis, universalis, necessaria; non personalis, particularis, libera.

c) quoad *mundum exteriorem*: ex definitione substantiae Spinoziana, eundem ferè spinozianum pantheismum deducit; idealismum non evitat; fatalismum adstruit.

4° *Theodorus Jouffroy*, Ponte Arlerio natus, 1796—1842; docuit Parisiis, deinde populi deputatus; eclecticismo rationalistico spiritualismum admittit; nihil esse verum docet nisi quod observatione psychologica interna manifestum sit.

5° Hos sequuntur inter plurimos: *Julius Simon*, Lorientanus, natus 1814; — *Paulus Janet*, Parisiensis, natus 1823, ex Scholasticis nonnulla assumens; — *Aemilius Caro*, Pictaviensis, natus 1826; — *Ravaisson*; — *Amadeus de Margerie*; — *Nourisson...*

V. Empirismi propagatio apud ceteras gentes.

1° In Germania pauci ab initio, sed mox plurimi empirismum materialistum a Gallis et Anglis acceperunt. Illustriores fuerunt :

a) *Ludovicus Feuerbach*, Ansbacanus, natus 1804; positivistarum placitis nonnihil adhaeret, viamque aperit puriori materialismo; res religiosas imprimis explicare conatur modo mythico naturali.

b) *Carolus Vogt*, Giesseniensis, natus 1817, docet Genebae; famosus viator, ubique conferentias materialisticas transformisticas declamans. — Huic similia habent *Jacobus Moleschott*, Buscoducensis, natus 1822; docuit Heidelbergae, postea Taurini; — *David Strauss*.

c) *Ludovicus Büchner*, Darmstadensis, 1827; libro valde vulgato «de vi et materia» omnes materialistarum Gallorum saeculi praeteriti sententias recoquit; axioma primum proponit : nullam posse vim esse sine materia, nullam materiam sine vi. Hinc atheismum, materiae immutabilitatem aeternitatemque, evolutionem continuam fatalem adstruit; stylo utitur nunc cynico irrisore, nunc latiore pathetico, multitudini accepto.

d) *Ernestus Haeckel*, Postdamiensis, natus 1834, docet Jenae. Is Darwinium transformismum pluribus illustrat, longeque audacioribus stolidioribus hypothesibus exornat, amaeno irrisorio stylo profert.

e) Rebus moralibus applicare materialismum aggressi sunt *Cornari*, — *Paulus Ree*, — *Dühring*, omnia ad mere sensualem evolutionem appetituum reducentes.

f) Contra nimias Haeckelianas temeritates reagentes apparuerunt *Liebig*, *Virchow*, *Dubois-Regmond*, *Meynert*, *Helmholtz*, *Wundt*, *Bernstein*, et alii; impotenter tamen, ideo quia excessus quidem refutantes ipsi nihilominus materialismi principia prima admittunt, tantumque logicas conclusiones nolunt accipere.

2° In Italiam penetravit a) sensualismus jam saeculo praecedente, cum *Genovesi* in partibus meridionalibus; in septentrionalibus vero cum *Condillac* et *Soave*. — Hos secuti sunt *Melchior Gioja*, 1767—1829, encyclopaedistas gallos introducens; — *Dominicus Romagnosi*, 1761—1835; — *Paschalis Galuppi*, 1774—1846, eclecticus aliqua Kantiana placita recipiens (cfr. infra).

b) Positivismum invexerunt *Paschalis Villari*; — *Cajetanus Trezzo*, docens Florentiae; — *Aristides Gabelli*, positivismum morali applicans, justum et bonum prorsus cum utili confundens, moralitatis veram normam nullam agnoscens; — *R. Ardigò*, Mantuae canonicus, positivisticam psychologiam conflare tentans ex materialisticis simul et idealisticis placitis.

3° In Hispaniam transmeare vix potuerunt empiristicae doctrinae, saeculo praecedente paululum, nostro vero minime quoad theoreticas doctrinas, multum autem quoad practicas politicas socialistarum conclusiones grassatae sunt.

4° Apud Gentes Americae tum septentrionalis, ubi anglico sermone, tum meridionalis, ubi hispano vel lusitano utuntur, mirum fere est quanta velocitate et universalitate propagatae fuerint hoc saeculo variae formae materialismi, empirismi, socialismi; — vulgantur ope revolutionum politicarum et effrenae libertatis; — nullus tamen apparet eminens doctor vel scriptor, nulla propria nova doctrinarum systemata.

5° Notare illud unum hic loci juverit, extremas conclusiones ex materialismo anglico gallico, sicut saeculo praecedente exeunte ingentes clades adduxerunt in vita civili et politica, ita et nunc iterum abhinc paucis decenniis minarum plenas exstare. Novimus enim quomodo communistarum et socialistarum *societates internationales* per totum mundum nunc propagatae, apud plerosque populos jam factiones politicas natinatrices constituent.

ARTICULUS 2.

Philosophiae christianae restauratio.

Notabis statim, non promitti hoc praesenti articulo philosophiae *scholasticae* evolutionem, sed solum latiori aliquo sensu *christianae* philosophiae restorationem. Post deliria enim et furores, turbines et ruinas saeculi praeteriti exeuntis, nostrique ineuntis, disjecta omnis veritas erat et abrupta omnis traditio; et nisi cum sua Ecclesia esset Christus usque ad consummationem saeculi, perierat omnis rei christianae memoria; quia imo etiam intra ipsam Ecclesiam vix aliqui paucissimi Scholasticorum Doctorum notitiam et aestimationem retinebant, plerique aliquam fidei dogmatum cum recentioribus philosophematibus conciliationem tentabant, nec nisi paulatim ad puriora reditum est. Istas varias formas nunc per gentes exponemus, atque in fine pauca de virium catholicarum omnium unione sub Leone XIII confirmata et ordinata.

§ 1. In Germania.

§ 2. In Gallia, Belgio, Anglia.

§ 3. In Hispania.

§ 4. In Italia.

§ 5. Sub Leone XIII.

§ 1. IN GERMANIA.

1° Apud nullam aliam gentem tantae fuerunt, saeculo nostro ineunte, philosophiae simul et theologiae ruinae inter catholicos, quantae apud Germanos. Josephinismo, rationalismo, Kantismo, omnia plena erant : seminaria, scholae, libri scholares, etiam religionis cursus dogmatici. — Timide philosophicas aliquas veritates defendere et cum revelata religione conciliari tentarunt *J. M. Sailer*, 1751—1837; — *Cajetanus Weiler*, obiit 1826; — *Jacobus Salat*, 1766 — 1851; — at frustra, quoniam neque objectiva principia

metaphysica satis firmiter tenebant, neque sufficienter periti in vero dogmate intelligendo erant. — Idem tentavit *Georgius Hermes*, 1775 — 1831, docens Bonnae, Kantianus; sed reprobatus ab Ecclesia fuit.

2° Melius quidem quam praecedentes, rectae orthodoxiae conformes fuerunt *Fridericus Guillelmus Schlegel*, 1772—1829; — *Joseph Goerres*, 1776—1847; — *Hieronymus Windischmann*, 1775—1839; — multum tamen abest ut clare theoretice patefecerint veritatem; at recte ad catholicorum traditionem redeundum esse indicarunt.

3° *Franciscus Baader*, Monachiensis, 1765—1841, studuit medicinae et mechanicae, dein philosophiam, docuit Monachii. Vir boni ingenii, sed Kantianismo imbutus, postea Scholasticos legit sed perperam intellexit, Jacobo Boehme multum affectus, ad mysticum gnosticisum aliquem rationalisticum pervenit. — Aliquamdiu apud Germanos catholicos celebratus, mox tamen universim derelictus, qui totam Ecclesiae constitutionem subvertens, Pontifici supremo omnem auctoritatem abnegabat.

4° *Antonius Günther*, Lindenaviensis, 1785—1861, sacerdos Vindobonae vixit. Idealismo Fichte et Hegel abductus, Cartesio affectus, systema suum ex hoc primo principio orditur: « omne ens essentialiter ad conscientiam sui tendere. » — Ex divina conscientia directe Trinitatem, et indirecte, per contrapositionem Trinitatis, mundum evolvit modo plane rationalistico; — circa hominem dualismum adstruit; — in religione conceptum peccati originalis et redemptionis omnino adulterat. — Ab Ecclesia damnatus se submit, cum plerisque suis asseclis.

5° Monachiensis Schola fere posset dici series illa Bavarorum catholicorum qui, post Baader et Günther, similia tentamina conciliationum adiverunt, systemata varia magno plausu protulerunt, mox oblivioni merita danda. — Inter eos emicuerunt: a) *Martinus Deutinger*, 1815—1864, sacerdos, docuit Frisingae, Dillingae, Monachii; — b) *Joannes Nepom. Oischinger*, qui etiam Sⁱ Thomae « errores contra fidem christianam » Sanctae Sedi damnandos denuntiavit!!! — c) *Jacobus Frohschammer*, natus 1821, qui fuit ab Ecclesia reprobatus, eique rebellis. — d) *Guillelmus Rosenkranz*, 1821 — 1874, indigestae confusionis et obscuritatis, tum quoad res tum quoad modum dicendi; aliquot suos coevos in admirationem rapuit. Pantheismum vitare se frustra contendit.

6° Ad scholasticam doctrinam resumendam animos praeparavit: *Joannes Moehler*, 1795 — 1838, ad auctoritatem antiquam positivis argumentis remittens; theologiam quidem potius curans, sed revera in philosophiam pariter influens. — Idem fere dicendum de *Drey*, 1777—1853; — *Staudenmaier*, 1800—1856; — *Joanne Kuhn*, nato 1806, qui etsi circa valorem rationis ad Dei existentiam probandam, et circa naturam gratiae, fideique supernaturalis erravit, multum tamen ac valide contulit ad antiquam doctrinam restaurandam.

7° Scholasticam philosophiam (et theologiam) propugnauerunt et notam

fecerunt: a) *Jacobus Clemens*, 1811—1862, docens Bonnae, dein Monasterii; — b) *Joseph Kleutgen*, Dortmundanus, 1811—1883, Jesuita Romae vivens exul, germanice scribens « de theologia antiqua » et « de philosophia antiqua; » — c) paulatim plures: *Scheeben*, *Plassmann*, *Stoeckl*, *Morgott*, *Schneid*, etc...

§ 2. IN GALLIA, BELGIO, ANGLIA.

1° Post Gallicas perturbationes diruta erant omnia, sed catholicae gentis non potuit non mox reviviscere tendentia, ut catholica dogmata defenderet atque iterum exponeret clarius. Longus tamen labor futurus ideo erat, quia per magnam praecedentis saeculi partem, scholasticam traditionem fere nemo amplius retinuerat; omnia nimirum risui impiorum cesserant. — Reviviscentiam illam praeparavit poeta *Chateaubriand*, 1769—1848; — fortius et clarius indicaverat *Joseph de Maistre*, Camberiensis Sabaudus, 1754—1821, salutem societatum humanarum ostendens esse ex christianis principiis applicandis unice sperandam, providentiamque divinam circa res humanas defendens.

2° *Ludovicus Gabriel de Bonald*, Monnanus, 1754—1840, praefectus suae urbis, sub revolutione emigrans exul, sub imperio et restaurato regno consiliarius rerum scholarium, et deputatus ad coetus legislativos. — Fidem christianam extollit, sed ita exaggerat ut, contra impiorum negationes in aliud extremum prolapsus, rationem prorsus deprimat, revelationis fidem tamquam unicum fontem omnis cognitionis metaphysicae, moralis et religiosae proponat; ex quo per traditionem omnes nos hauriamus cognitiones nostras cunctas.

3° *Felicitas La Mennais*, Macloviensis, 1780—1854; sacerdos, traditionalismum praecedentis accepit ardentem defendit, traditionem divinam tamquam unicum veritatis criterium ultimum proponit; — ab Ecclesia damnatus, in liberalismum et rebellionem prolapsus est.

4° *Ludovicus Eugenius Bautain*, Parisiensis, 1795—1867, sacerdos, eundem traditionalismum defendit, probationem existentiae Dei concludit nullam esse posse praeterquam ex ipsius Dei revelantis fide et traditione; — damnatus laudabiliter se submit.

5° Traditionalismo plurimi in Gallia et in Belgio adhaeserunt; — in Angliam vix irrepsisse videtur, nullum certe influxum habuit; — eum alii mitigatum etiam post condemnationes retineri posse censuerunt, duce *Augusto Bonnetty*, 1798—1879; — donec etiam huic mitigato systemati condemnationem Ecclesia opposuit, illudque extinxit.

6° Aliis interim, christianam scientiam aedificare cupientibus, ad Ontologismum *Nicolai Malebranche* reverti praeplacebat. Inter quos eminuerunt: a) *Henricus Maret*, 1805—1883, episcopus Surenensis i. p. i., docuit Parisiis; — b) *Gratry*, Insulanus, 1805—1872, sacerdos oratoriensis congregationis;

— *c) Casimirus Ubaghs*, docuit Lovanii; — *Franciscus Rothenflue*, 1805—1869, Jesuita, docuit Friburgi.

7° Paulo mitigatum ontologismum defenderunt alii donec, post disputationes satis acres, omnes se condemnationi ecclesiasticae intervenienti submitterent.

8° In Anglia vix aliquis motus philosophicus hoc saeculo inter catholicos animadvertitur. — Oratorienses sacerdotes aliqui fuere qui suo Rosminio adhaerent.

9° Dum ceteris fere omnibus in Gallia arridebant traditionalismus et ontologismus, primi scholasticam doctrinam antiquam proponere ac defendere aggressi sunt Jesuitae, *Rozaven*, Corisopitensis, 1772—1851, et *Chastel*, quamquam initio in deserto clamabant.

